DE

GASTRO- ET ENTEROMALACIA INFANTUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCXXXI

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAURIT. AUG. BAUMGARTEN-CRUSIUS,

MARTISBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

HENRIC. HEIDENHAIN, MED. ET CHIRURG. DRE.
HENRIC. AEM. SUCCOW, MED. ET CHIRURG. DRE.
FRANC. BERGENER, MED. ET CHIRURG. DRE.

BEROLINI,

TYPIS C. F. BRETTSCHNEIDERI.

CAPUT I.

NOMEN MORBI.

§. 1.

Priusquam ad ipsum morbum nostrum transeamus uberius describendum, operae pretium fieri nobis videtur, si, quae scriptoribus hucusque usu venerunt nomina paucis recensuerimus, et nominis a nobis electi atque ipsi dissertationis fronti impositi rationes reddiderimus. Id quod haud prorsus a re esse putamus. Nam cum pluria omnino sint, quae in eligendis et conformandis nominibus respici soleant momenta, quippe cum aut ad causam proximam respectum habeamus (ut in denominando Rheumatismo, veterem certe sententiam ubi sequimur, et omni inflammationum genere); aut ad causam occasionalem (ut in Mania potatorum, Asthmate Fullonum etc.); aut ad symptoma morbi maxime elucens (quale audimus in Diarrhoea, in Colica, in ipso Cachexiae nomine etc.); aut denique ad exitum morbi (ut in Hydrope, Tumore lymphatico etc.): eadem in morbi hujusce denominatione observare nobis licet. Neque tamen omnia haec ejusdem momenti esse persuasum nobis habemus. Nam cum a definitione, quam nos dicimus, nominali ipsa pendeat definitio realis, saepissime jam ex eo, quo quis utitur, nomine conjicere solemus, quamnam sibi ea de re et paravarit notionem, et formaverit sententiam. Ita nimis amplo quidem vagoque nomine *Ramisch* [1]) Gastropathiam a Gastromalacia disjungendam putavit, similique prorsus modo *Zeller* [2]) pluribus verbis usus ut „morbum ventriculum infantum perforantem" descripsit. Ex his autem non satis certa de ipso morbo sententia elucere videtur; cujus tamen rei illum accusare non possumus, utpote qui ad aliam rem, infra memorandam, respectum habuerit. — Alii igitur ipso jam nomine aliam quandam notionem conjungere studuerunt, ut *Jaeger* [3]), cui secundum ea, quae in hominibus vivis primus et cognoscere et ab aliis

1) *Ramisch* diss. de Gastromalacia et Gastropathia infantum. Prag 1824. p. 11.
2) *Zeller* diss. de natura morbi ventriculum infantum perforantis. Tubing. 1818.
3) *Jaeger* in *Hufeland's* Journal d. pract. Arzneiwissenschaft. Vol. 32. St. 5. p. 3—30. Vol. 36. St. 1. p. 15—73.

morbis distinguere experientia edoctus erat, locum morbi nostri maxime usitatum respitienti: „Erweichung des Magengrundes" audivit. Alii porro, iique plurimi id potissimum, quod oculis in dissectis cadaveribus observare licuerat, nomine comprehendendum esse putaverunt; qua propter *Henke* [1]) nomem morbo indidit „Gastromalacia;" *Massius* [2]) „Dissolutio membranarum ventriculi;" — *Goedecke* [3]) „dissolutio ventriculi;" — *Henke* [4]) „Erweichung des Magens;" — *Rhades* [5]) „Magenerweichung;" — *Hildenbrand* [6]) „Emollitio ventriculi;" — *Joerg* [7]) „Verhärtung oder Erweichung der Magenwände." *Alibert* [8]) cum morbos organorum nutritioni inservientium „Trophopathies," secundum locum, quem infestant, in „Gastroses etc." distribuisset, perforationem ventriculi, „Gastrobrosin," duodecimum illarum ordinem esse voluit, quam deinde in venenatam et spontaneam disjunxit. Neque hae tamen species sufficiunt, quippe cum vi etiam mechanica ventriculus perforari queat. Praeterea Gastrobrosin spontaneam, ut de morbo nostro valere possit, epitheto alio instructam esse necesse est, cum alioquin et ulcerationem et gangraenam simul comprehendat.

Sed et ab hisce discesserunt alii, eo quidem consilio, ut una cum ipso morbi nomine ejus originem vel pathogeniam indicarent. Neque igitur est, quod miremur, clarissimos hos viros nomine eidem morbo subdidisse admodum diversa, utpote qui illam, quam fovebant de morbi natura sententiam, illis patefacere studuerint. Ita, qui primus in cadaveribus hanc ventriculi emollitionem observavit, medicosque, ut huic rei memoria admodum dignae, investigandae vires suas impenderent, excitavit, *Hunterus* [9]) inquam „Digestionem ventriculi sui ipsius post mortem" pronuntiavit; eumque secuti sunt *Burns* [10]), *Adams* [11]) et *Baillie* [12]). Ab hac proxime abest *Harlessii* denominatio „Resolutio et diabrosis membranarum

---

1) *Henke* de inflammationibus internis infantum. Erlang. 1817. p. 10.
2) *Massius* diss. inaug. med. de dissolutione membranar. ventr. Halae 1820.
3) *Goedecke* de dissolutione ventriculi s. de digestione quam dicunt ventriculi post mortem. Berol. 1822. 8.
4) *Henke* Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung der Kinderkrankheiten, 1821. Bd. II. p. 11.
5) *Rhades* in *Horn's*, *Nasse's*, *Henke's* und *Wagner's* Archiv f. med. Erfahrung. 1822. Sept. und October p. 226 ff.
6) *Hildenbrand* Institut. practico-medicae. Tom. III. p. 298.
7) *Joerg*, Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten. Leipzig 1826. p. 420.
8) *Alibert*, Nosologie naturelle ou les maladies du corps humain distribuées par familles. Tom. I. à Paris 1807.
9) *Hunter* observations on different parts of animal oeconomy; übers. v. Scheller, p. 300—310.
10) *A. Burns* observ. on the digestion of the stomach after death, in Edinb. med. and surg. Journal. Vol. VI. p. 129—138. S. Göttinger gel. Anzeiger St. 43. v. 16. März 1811. p. 426.
11) *Adams* on the digestion of the stomach after death. In Answer to Mr. Burns. Im Lond. med. Journal. Vol. XXIII. p. 399—418.
12) *Baillie* Anatomie des krankhaften Baues etc. übers. v. Soemmering. p. 71.

ventriculi," *Laisnei* [1]), ejusque, qui eum secutus est, *Beckeri* [2]): „Erosio s. perforatio ventriculi spontanea;" ita quidem ut eodem nomine acidi cujusdam in ventriculi membranas agentis easque sensim sensimque penetrantis notionem involverent. *Feiler* [3]) contra: „Putredinem fundi ventriculi" esse voluit. Sunt denique, qui ad inflammationum genus morbum revocantes, hoc ei nomen imposuerunt, ita tamen ut peculiarem hujusce ab aliis ventriculi inflammationibus diversi morbi naturam simul indicarent; ut *Cruveilhier* [4]) et *Sablairoles* [5]): „Gastrite et Enterite avec desorganisation gelatiniforme des Enfans;" — *Vest* [6]): „Gastritis infantilis;" et *Harless* [7]): Pseudophlogosis ventriculi interioris et intestinorum resolutiva et colliquativa." —

§. 2.

Quae cum ita essent, non potuimus, quin illam praecaeteris laudaremus morbi denominationem, quae, cum hypotheses partim jam revulsas, partim non satis probatas, quarum deinde mentionem faciemus, vitaret, illo solummodo fulciretur certissimo sane momento, ventriculi duntaxat emollitione, quam in dissecto aegroti cadavere et oculis videre et manibus contrectare valemus. Nitimur autem hac in re viri, quem *Petrus Frank* [8]) „humano majorem elogio" praedicat, *Hippocratis* inquam verbis [9]), dicentis, illum qui manibus contrectaverit ventrem minus falli posse, quam reliquos.

Posset tamen aliquis vitio nobis vertere, quod hoc Gastromalaciae nomine (a γαστήρ, ventriculus et μαλακία, emollities) non morbum, sed exitum potius ejusdem indicaremus. Neque haberemus, quod huic opponere possemus praeter virorum clarissimorum auctoritatem, nisi mentem nostram subiret analogiae memoria, quam, unam e sexcentis, in denominandis fungis quovis fere die audimus. Neque enim ubi de fungo medullari vel melanode vel haematode sermo instituitur, ipse delineatur morbus, sed localis tantum altioris cujusdam organismi morbi affectio. Tantumque abest, ut tales vituperemus denominationes, ut illis minime probatarum

---

1) *Laisné* Considerations medico légales sur les erosions et perforat. de l'estomac. Neue Sammlung auserl. Abhandl. Vol. IV. St. 4.
2) *Becker* in *Hufeland's* Journal. Bd. 64. St. 3. p. 15.
3) *Feiler* Paediatrik. 1814. p. 193. 194.
4) *Cruveilhier* médecine pratique eclairée par l'anatomie et la physiologie pathologique. 1 Cah. 8. 1821. p. 30—168. S. Neue Sammlung auserl. Abhandl. Bd. VI. St. 2. 1822. — Id. über die gallertartige Magenerweichung, übers. von Vogel. 1823.
5) *Sablairoles* Recherches etc. relat. à la predomination des org. digestifs des enfans sur le cerveau. Paris 1826.
6) *Vest* Med. Jahrb. d. K. K. Oesterreichischen Staats. Neue Folge. Bd. IV. St. 8. 1823.
7) *Harless* Syst. d. spec. Nosologie. Erste Hälfte, p. 580.
8) *Pet. Frank* Epitome de cur. hom. morbis, Manhem. 1792. Bd. 1. Introd. p. XV.
9) *Hippocratis* Praediction. II. 70.

hypothesium mentionem involventibus longe praeferamus. Placuit autem graeca nominis compositio propter vocabuli simplicitatem. —

Ramischius quidem, ne illud sibi contraheret vituperium metuens, Gastropathiae (a γαστὴρ, et πάϑος, affectio, morbus) vocabulum sibi elegit, a Gastromalacia ita distinguendum, ut haec exitum, illa decursum morbi denotaret; sed quid inde lucri pro investiganda morbi natura redundaverit, non videmus; praesertim cum, ut hanc peculiarem infantum affectionem ab aliis ejusmodi disjungamus, alio adhuc opus sit verbo, praedicati munere fungente. — Sed et Enteromalaciam addendam putavimus, quippe quae et iisdem gaudeat symptomatibus, et eandem nobis ostendat membranarum destructionem, neque raro cum Gastromalacia juncta reperiatur. (Conf. §. 13.)

CAPUT II.

MORBI DECURSUS.

§. 3.

Quivis morbus humanum corpus afficiens in loco et tempore appareat necesse est, quippe quod ipsum corpus iisdem conditionibus subjectum sit. Itaque morbus certum aliquem locum infestans corpus quasi aliquod sibi construit, quo utens certam aetatem agere solet [1]), ita ut increscat, derelictoque summo suo fastigio elanguescat, vel aliam formam induat, organismo haud raro priore magis offensam, nisi jam prius omnibus ejusdem viribus consumtis vel commotis gravissimis perturbationibus hominis suamque ipsius mortem adduxerit. Iisdem legibus quin et noster morbus subjectus sit, dubium esse non potest. Igitur et locum habet, de quo infra uberius nobis dicendum erit, et certis constituitur stadiis, quibus ejus decursus terminatur. — Cujus quidem rei satis conscius jam *Jaegerus* stadium irritationis inter et alterum paralyseos, secundum eam, quam de morbi natura fovebat, sententiam, distinguere conatus est. Eundem secutus est *Ramisch* et *Felss* [2]), ita tamen ut morbum, solummodo ubi lentum servaret decursum, iisdem adstringi contenderent. Quod licet maximam partem negare non possemus, tamen ab illa divisione discedere noluimus, quippe quae ad depingendam morbi imaginem haud inutilis nobis visa sit. Cupiverimus tamen et tertium quoddam stadium addere, prodromorum scilicet, quod, licet non ubique tam luculenter appareat, ta-

---

1) *Hartmann*, Theorie der Krankheit oder allg. Pathologie. Wien 1823. p. 414 ff.
2) *Felss* diss. de Gastromalac. infant. Lips. 1827. p. 11.

men ad ipsum evolvendum forsitan morbum haud minimum conducere, medicumque certe, ut accuratius in dignoscendis et curandis infantum morbis incedat, attentum reddere potest. Caeterum omnis rei hujusce cardo in causa occasionali versari videtur, majore ejusdem videlicet vel minore, qua in organismum agit, intensitate, qua quidem fit, ut morbus aut gradum corripiat, aut festina lente incedat. —

Teuffel [1]) etiam tria morbi stadia a se invicem distinguenda esse putat; idque ipsum, theoreticam licet magis, quam practicam partem spectante ratione ita instituit, ut primam universi systematis nervosi affectioni tribuat, alterum nervi potissimum vagi plexusque coeliaci aegritudini, cum turbatione processus reproductivi junctae constituat, usque dum in tertio tandem morbi stadio ipse morbus (Malacia) perfecte excultus medici observationem subeat.

Richter [2]) contra duas tantum morbi periodos a se invicem disjungi vult, alteram primo stadio a nobis exposito similem, et alteram, per febris accessum notabilem; et cujus quidem duplicem aut lentiorem aut praecotiorem finem esse contendit.

§. 4.

Stadium igitur *primum* i. e. *Prodromorum* saepius sese manifestat per ea potissimum signa dysphoriae cum dyspepsia junctae, quae habitum infantum omnino cachexiis obnoxium indigitant. Cernimus eum autem in morositate atque tristitia vel etiam inquiete infantum; cognoscimus porro e lingua albo muco obtecta, ad margines rubra, ibique papillis justo paulisper magis excultis praedita; ex odore interdum ex ore acido, abdomine sine doloribus alias duro, inflato [3]) et ubi dorso infantes incumbunt, ad latera discedente; alias molle, ita ut glandulas meseraicas justo majores et duriores digitis tangere queamus. Appetitus lactis in minoribus natu infantibus, ciborum in majoribus imminutus est, nisi rudiorum sibique minime convenientium nutrimentorum appetentiam ostendant [4]); non sitiunt quidem, sed porrectum tamen potum cupide arripiunt, magnisque haustibus ingerunt; alvus alias tardior est, alias nimis frequens [5]); ita ut massa per eam deponatur mucosa vel serosa, viridiuscula et spinatiae oleraceae concisae coctaeque similis, immixtis pusillis lactis concreti frustulis. Urina, quod quantitatem attinet, varia, saepius turbida et nubecula instructa. Somnum saepius interruptum multus et frequens clamor excipit, in cujus causam ii, qui curam infantum gerunt, frustra

---

1) *Teuffel* in den Annalen f. d. ges. Heilkunde unter d. Redact. der Mitglieder der Grofsherzogl. Badischen Sanitäts-Commission. II. Jahrg. 1825. Heft 1. pag. 92.

2) *Horn's* Archiv 1824. St. 5. p. 228, 229.

3) *Toel* in Horn's Archiv f. med. Erfahrung 1824. Mai, Juni-Stück p. 479.

4) *Krüger* in Horn's Archiv 1824. Januar, Februar, p. 110.

5) *Krukenberg* Jahrbücher der ambulator. Klinik zu Halle. Bd. II. p. 342.

inquirere student. Faciem praeterea pallidam, oculos omni splendore carentes, coeruleo circulo cinctos, ossa zygomatica prominentia, totum corpus sensim sensimque macie confectum videmus. Cutis enim plerumque arida, relaxata praesertim in collo rugosa apparet, extremitates graciles sunt atque macilentae. — Interdum etiam organa respirationi inservientia affecta esse et respiratio inaequalis, et tussis testatur sicca, brevis et, quod frequentiam attinet, in variis morbi casibus varia [1]); interdum tamen tanta, ut vomituritiones ipsamque ciborum lactisve dejectionem cieat.

Neque tamen hoc stadio semper opus esse, morbus duntaxat ubi subito organismam infantilem aggressus rapidiorem decursum servat, illi docuerunt casus, qui robustissimos fere quosque puerulos afficientes mortem proh dolor! velocissimam adduxerunt.

§. 5.

Stadium alterum i. e. *irritationis* omnium omnino symptomatum hucusque recensitorum exacerbatione constituitur. Nam et cerebri functiones magis perturbantur et affectiones organa infestantes nutritioni inservientia etiam adaugentur. Lingua saepe arida, calidaque, rugosa [2]), media quidem muco albescente obtecta; totaque interdum oris cavitas faucesque rubicundae et aphthis obsitae [3]), odoremque acidum spargentes reperiuntur. Lactis vel ciborum appetitu cum plane careant, siti torquentur ejusmodi aegrotantes vehementissima, sed quam rem cunque sibi oblatam devoraverint, vomituritionibus ipsoque vomitu perquam turbulento promere coguntur. Eundem excitari etiam per tussim videmus et saepius orientem, et vehementiorem et majore thoracis pulmonumque spastica contractione junctam. Ejusmodi dejectiones et mucum continent magna copia secretum, et concreta lactis frustula innatantia et odorem acidum late spargere solent. *Jaegerus* imo infantem mucum evomuisse, sat magnam massam caseosam continentem, memoriae tradidit [4]). Vomitum non nisi rarissime absentem [5]) saepissime excipit ventris profluvium, per quod faeces supra descriptae cum flatibus et foetore quodam peculiari [6]), sine Tenesmo tamen dejiciuntur. Interdum vomitus et diarrhoea nexum aliquem inter se alunt antagonisticum, ita ut cessante altero, alterum adau-

---

1) *Rhades* in Horn's Archiv 1822. September, October, p. 227.
2) *Pitschaft* in Rust's Magazin f. d. ges. Heilkunde. Bd. XXI. Heft 2. 1826.
3) *Krukenberg*, Jahrbücher II., p. 340. Wiesemann in Horn's Arch. 1824. Sept., Octbr. p. 202.
4) *Jaeger* in Hufeland's Journal. Bd. 36. St. 1. p. 38.
5) *Rhades* in Horn's Archiv 1822. Sept. und October-Heft p. 228.
6) *Wiesemann* in Horn's Archiv 1824. Sept. und Oct. p. 207.
Wiesemann ibid. p. 201.

geatur [1]). Urina haud ita conspicuam a norma recedentis imaginem prae se ferre solet, neque, ubi colorata parcaque observatur, constans morbi symptoma exhibet, licet *Meissner* admodum parcam esse contendat [2]). Regionem epigastricam in aliis morbi casibus tensam, duriusculam calidamque persentimus, ita ut, ubi digitis perscrutamur, et faciem aegrotantium dolorem exprimentem videamus et clamorem audiamus; — (quin et vomitus per graviorum tactum saepius oriatur!) — in aliis omnia haec localia symptomata abesse videmus.

Praeterea febris accedit exacerbationibus saepe vespertinis instructa, una cum somno implacido, calore praesertim in capite, scrobiculo cordis et palmis percipienda, cute plerumque arida, rarius sudante [3]), respiratione rara et profunda. Interdum subitaneae caput versus et oculos observantur congestiones sanguinis, ita ut et genae rubeant, et oculorum splendor augeatur. — Pulsus inaequalis esse solet, parvus tamen, facileque comprimendus, sed quod frequentiam spectat et variis diei temporibus et febris accessionibus diversus. *Cruveilhier* tardum potissimum et irregularem observavit, *Hufeland* [4]) tanta frequentia praeditum ut centum et triginta ad quadraginta usque ictus per sexagesimam horae partem exhiberet. — Quibus omnibus accedit tristissimus aegrotantium habitus. In lectulo enim cubant, dorso ferre semper incumbentes, pedibus ad corpus attractis, sinistro praeprimis; facie dolorosa, pallida, macie admodum idque velocissime confecta, interdum clamorem edentes late sonantem, stridentem, manibus abdomen petentes, vel etiam nasum, vel oris cavitatem. —

Hoc stadio spatium plerumque trium ad septem dierum confici solet; neque tamen proh dolor! ii casus, in quibus morbus paucis solummodo horis absolutis statim in tertium stadium mortemque transiit, rarioribus annumerandi sunt.

§. 6.

Stadium tertium i. e. Paralyseos omnium brevissimum esse, jam ex praecedentibus conjici potest, ut cum organismus organi cujusdam labem arctissime secum connexi [5]), et a quo omnis omnino nutritio viriumque reproductio pendeat, haud ita longum tempus ferre possit; quo fit ut intra duodecim interdum horarum spatium mors concilietur. Manifestatur autem hoc stadium per summam apathiam et imminutam admodum in qualiacunque irritamenta reactionem. Cerni-

---

1) *Felss* diss. d. Gastromalac. infant. p. 12.
2) *Meissner* Kinderkrankheiten. Bd. I. p. 370.
3) *Krukenberg* Jahrbücher II. p. 346.
4) *Hufeland's* Journal, Bd. 63. St. 5. p. 127.
5) Ita *Petrus Frank* „sensibilissimam et consentientem ventriculi cum universo corpore naturam" laudat, Epit. d. cur. hom. morb. Lib. II. §. 236. p. 243.

mus enim eam in maxime collapso faciei habitu, cujus palpebras nonnunquam oedematosas fuisse referunt, in summo sopore et oculorum stupore, qui semiaperti, rigidi ad superiorem orbitae partem revoluti sunt; in pulsu admodum debili, inaequali, parvo, quandoque frequenti, maximam tamen partem rariore et quem, celeritate saepius instructum, tactu percipere vix queamus. Accedit his respiratio rara, sed profunda, anhelosa et stertorosa, tussi antea praesente, nunc prorsus cessante. Deinde frigus marmoreum quasi cum pallore plumbeo totum corpus occupat. Qui vehementissimus antea aderat sed interruptus ac stridens clamor nunc in vagitum mutatur perennem, submissum cum singultu junctum posteaque prorsus evanescentem [1]). Inter quae alvus et urina cum flatibus involuntarie profluunt; dolores abdominis, siquidem affuerint, prorsus evanescunt, et quae dura antea tensaque fuerat regio epigastrica, totumque abdomen nunc molle est, nonnunquam meteoristico modo inflatum. Quin etiam vomitus nunc cessat [2]), ita ut quae promuntur ventriculi contenta non per spasticam ventriculi contractionem ejiciantur, quae, cum paralyticus sit, fieri non potest, sed per ructus aëremque nunc evolutum redundare et suapte quasi sponte profluere videantur. Nonnunquam oedematosum etiam faciei vel pedum manuumque tumorem oriri videmus [3]). — Tandem convulsiones intrant, spastica videlicet extremitatum contractio, cum oculorum distorsione dentiumque stridore juncta, quae paucum postquam tempus duraverant, summae rursus apathiae locum concedunt. Tales convulsiones pluries reverti solent, usque dum exhausto prorsus virium fonte mortem adducant, quietem maxime, neque ullo alio turbatam recrudescente morbi symptomate.

CAPUT III.

VARIETATES MORBI.

§. 7.

Maximi sane momenti accuratior in illas, quibuscum conjunctus morbus noster apparet, varietates inquisitio esse videtur, quippe quibus probe cognitis clariorem morbi imaginem nobis acquirere possimus. Quod quidem fieri aliter non potest, nisi ubi complicationes morbi vel ad veram ejus naturam pertinentes vel ad effectum causae occasionalis synchronicum referendas, bene disjunxerimus; si-

---

1) *Wiesemann* in Horn's Archiv 1824. Sept. und October-Stück, p. 203.
2) *Krüger* in Horn's Archiv 1824. St. 1. p. 111.
3) *Richter* in Horn's Archiv 1824. St. 5. p. 230.

mulque objectum morbi, corpus videlicet infantile ejusque variam evolutionem consideraverimus. Ad quemvis autem morbum procreandam causa aliqua adsit praedisponens, qua corpus obnoxium redditur rebus noxiis extrinsecus illatis necesse est aeque ac causa occasionalis, qua illa morbi semina ipsi producendo morbo apta redduntur. Differt igitur

1) Gastromalacia secundum corporis, quod aggreditur, constitutionem. Nam in robustissimis quibusque atque bene nutritis infantibus ubi apparet rapidissimum etiam decursum et cum tumultuosa omnium symptomatum exaggeratione junctum servat; contrarium vero in debilibus et jam ante morbi nostri accessum atrophia laborantibus, ita ut in illis stadium etiam primum prodromorum, prorsus omitti videatur. Quin etiam aetas respicienda est, cum, quo minorem natu infantum eo rapidiorem morbi decursum observare soleamus.

2) Altera oritur differentia secundum causam per accidens corpus infestantem, majore ejusdem scilicet vel minore malignitate, cujus quidem rei infra uberiorem mentionem faciemus (conf. §. 16.).

3) Variat Gastromalacia secundum temporis spatium, quo mortem adducit, ita ut distinguamus necesse sit inter acutam et chronicam. Et haec quidem eum, quem antea exposuimus, decursum servare solet, cum illa concitato pede tria stadia, vel duo tantum, ommisso primo, percurrere soleat. Tribuitur igitur ei intervallum viginti quatuor horarum ad tres quatuorve dies, cum chronica quatuordecim, vel viginti dies sibi sumat. *Rhades* [1]) imo a primis inde morbi signis ad mortem usque quatuordecim hebdomatum spatium impletum esse, memoriae tradidit.

4) Quarta oritur morbi differentia ex loco praeprimis affecto; quae quidem diversitas cadaverum sane sectione magis quam diagnosi in vivis infantibus constitui potest. Nam haud ita multum discrepationis in symptomatibus morbum constituentibus inde oriri, *Jaegeri* docuit observatio [2]), qui cum eadem fere apparuissent morbi signa, ventriculum omnino bene valentem, colon autem adscendens, magnamque transversi partem solito more emollitum reperit. Caeterum ad ea relegamus, quae in capite, sectioni cadaverum dicato, adamussim a nobis exponentur.

5) Quinta morbi varietas fulcitur diverso morbi primordio, quod quidem duplex esse potest, ita ut morbus aut ventriculum tantum eumque primario atque directo modo infestet, aut per consensum afficiat, secundario modo, postquam in alio corporis loco, capite inprimis, plus minusve longum tempus locum habuerat. Hinc illa nascitur diversitas, quae idiopathicam (protopathicam) inter et sympathicam (deuteropathicam) malaciam versatur. Idque novissime a nobis commemo-

---

1) *Rhades* in Horn's Archiv 1822. St. 5. p. 243, 244.

2) *Jaeger* in Hufeland's Journal. Bd. 36. St. 1. p. 48.

ratum tanta nonnunquam malignitate fit, ut quamvis praeter hydrocephali signa nullum aliud ventriculi affecti symptoma distingui possit, luculentissima tamen in dissecto aegroti cadavere ventriculi emollitio reperiatur [1]).

6) Sextam aliquam discrepantiam Typus constituit, qui licet, in plerisque morbi casibus continuus esse soleat, in aliis tamen, a remittente proxime abest, ita ut febris certe simul praesentis et remissiones et exacerbationes luculentissimae animadverti possint. Exacerbatio enim, vespertina potissimum, ex multis historiis morbi, litteris traditis, elucet [2]). Praeterea etiam quae in ultimo morbi stadio animadvertuntur convulsiones per vicem cum omni maximaque apathia et anodynia alternantes periodicum quoddam spirare videntur.

7) Pervenimus ad ultimam eamque sine dubio maximo momento praeditam varietatem, morbos videlicet, quibus ejus decursus complicitus et adumbratus reperitur, respicientem. Ex quorum longa igitur, qui hucusque observati sunt, serie praestantissimos atque notatu dignissimos eligamus, quos, quo inde clarior diagnosis fiat, paucis recenseamus.

§. 8.

In hac autem morborum farragine bene distinguendum est, quod ad diagnosin attinet, inter eos, qui prius affuerunt, eosque qui una cum nostro morbo corpus aggressi sunt, et illos, qui praesenti Gastromalaciae supervenerunt. Quae enim alia hos intercedere potest diversitas illa videlicet, num arctiorem quandam et necessariam, tunc autem constantem etiam, cum morbo nostro consuetudinem alant, an potentiae tantum cuipiam nocenti extrinsecus illatae ortum debeant, — ea magis ad investigandam morbi naturam spectat, neque igitur hoc loco exponenda. —

Igitur morbi hucusque observati, qui, praesenti Gastromalaciae supervenientes, ejus decursum complicitum reddiderunt, hos ferre esse putamus. Encephalititis mentionem *Sennius* [3]) fecit, cui post vomitum statumque biliosum omnia inflammationis cerebri signa observanti, postea in dissecto cadavere emollitio partis oesophagi inferioris, cardiae maxime propinquae reperta est. Simillimos morbi casus, cum hydrocephalo acuto junctos etiam Halae, cum scholas viri Ill. *Krukenbergii* clinicas frequentare mihi contingeret, observatos esse bene memini, ita ta-

1) *Jaeger* in Hufeland's Journal. Bd. 32. St. 5. p. 18, 19.
Balmé im Journal de Médecine A. 1786. p. 246.; Hufeland's Journ. Bd. 22. St. 5. p. 281.

2) *Krüger* in Horn's Archiv 1824. St. 1. p. 112.
Toel ibid. St. 3. p. 482.
Wiesemann ibid. St. 5. p. 201.

3) *Senn* recherches sur la meningite des enfans. XII. observ. p. 70.

men ut ventriculi ipsius emollitio post mortem appareret. In infante, ubi propter symptomata anginae membranaciae admodum conspicua illa ventriculi affectio adumbrata erat, ita ut illa etiam mortem conscivisse videretur, *Recamier* [1]) Gastromalaciam reperit. *Felss* [2]) casum memorat, ubi Tussis convulsiva lethali accesserat ventriculi emollitioni. *Cruveilhier* [3]) infantem morbo nostro laborantem Scarlatina infectum esse docuit; neque satis scimus, an non propter arctissimam membranarum internarum cum cute relationem illa infantum prona in id contagium facultas aucta sit.

Alterius generis complicationes, eae scilicet, ubi una eademque intercedente causa alius una cum Gastromalacia morbus procreatur, rariores quidem sunt; neque omnibus tamen exemplis huc pertinentibus caremus. Ita *Desruelles* [4]) infantis mentionem fecit, cui morbillis ob diarrhoeam et medicamenta nimis excitantia retrogradis, una cum Encephalitite Gastromalaciam ortam, mortemque inde conciliatam esse conquestus est. Diagnosin verum agnovisse, cadaveris sectio docuit, quippe per quam et hydrocephalus et ventriculi dissolutio reperta sit. Ejusmodi igitur morbi acuti casus licet ad eos referendos esse inficias ire nequeamus, qui rariores observationem medicorum subeant; chronicos tamen vel minus acutos, saepius animadverti experientia docuit.

Tertius tandum restat complicationum ordo, numero sine dubio, maximus, is duntaxat, qui alii morbo longius minusve temporis spatium duranti, Gastromalaciam accessisse comprobat. Ejusmodi morbos observarunt hac complicatione auctos semperque lethales: Febres intermittentes *Cruveilhier* [5]), Encephalititem *idem* [6]) et *Jaeger* [7]), et *Zeller* [8]); — Hydrocephalum acutum et meningeum et ventriculorum *Jaeger* [9]), *Mass* [10]), *Fleischmann* [11]), *Zeller* [12]), *Krukenberg* [13]), *Barkhausen* [14]). Inflammationem pulmonum terminatam esse Gastromalacia, con-

---

1) *Froriep's* Notizen. Nro. 93.
2) *Felss* diss. de Gastrom. p. 39.
3) *Cruveilhier* sur la remollissement de l'estom. p. 28. 29. S. Auserlesene Abhandlung. Bd. VI. St. 2. p. 214.
4) *Desruelles,* Journal univers. des sciences med. Tom. XIX. p. 245.
5) *Cruveilhier* l. c. p. 40. 48. 49.
6) id. übersetzt von Vogel. p. 65.
7) *Jaeger* in Hufeland's Journ. Bd. 32. St. 5. p. 18. 19. (1811).
8) *Zeller* l. c. p. 125.
9) *Jaeger* in Hufeland's Journ. Bd. 32. St. 5. p. 18. Bd. 36. St. 1. p. 43.
10) *Mass* diss. de dissolut. membr. ventr. p. 8. 11.
11) *Fleischmann* Leichenöffnungen. Erlangen. p. 122—132.
12) *Zeller* l. c. p. 100. p. 131.
13) *Krukenberg* Jahrbücher II. p. 109.
14) *Barkhausen* in Hufeland's Journal. Jahrgang 1825. St. 1.

tenderunt *Ramisch* [1]), *Laisné* [2]), *Jaeger* [3]), *Rhades* [4]) et *Louis* [5]) emollitionem ventriculi in iis, qui Phthisi pulmonum conficiantur, rem admodum solitam esse auctor est. In cujus partes etiam *Ramisch* [6]) isse videtur, casum aliquem Gastromalaciae cum Phthisi junctum referens. — Tussi convulsivae accedentem morbum nostrum observarunt *Criticus* [7]) et *Mass* [8]); — Inflammationi alii abdominali *Ramisch* [9]); — Hepatititi *Hufeland* [10]); — Dysenteriae *Jaeger* [11]) et *Mass* [12]); — Helminthiasi et atrophiae mesentericae *Burns* [13]), *Jaeger* [14]) et *Cruveilhier* [15]). Cum aphthis junctam *Krukenberg* [16]) et *Wiesemann* [17]) observarunt. Satis usitata porro conjunctio est morborum cutis externae cum ventriculi emollitione, id quod arctiore forsitan, quam vulgo putatur, nexu factum fuerit. Scarlatinae accessisse Gastromalaciam *Cruveilhier* [18]) retulit; Morbillis *Desruelles* [19]) et *Sablairoles* [20]); Variolis insitis *Westring* [21]); Erysipelati tandem neonatorum *Walsham* [22]).

Quam cum morborum omnis fere generis accumulationem obiter tantum adspicimus, fieri sane aliter non potest, quin eos neque minimum inter se alere nexum autumemus; utpote quos et febriles et apyreticos, et acutos et chronicos et inflammatorios et nervosos etc. videamus. Neque tamen rem ita sese habere, consideratio docet paulo accuratior, quae ad unum omnes aetati infantili admodum congruos esse commonstrat, quorum alii per consensum organa aegrotantia intercedentem orti sunt, alii, sed rariores fortuito tantum nostro morbo accesserunt.

---

1) *Ramisch* Obs. I. VII. IX.
2) *Laisné* apud Cruveilhier l. c. p. 61.
3) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 20. 21. Bd. 36. St. 1. p. 42.
4) *Rhades* in Horn's Archiv 1822. St. 5. p. 227—233.
5) *Louis* recherches sur la phthisie p. 63. et p. 287.
6) *Ramisch* l. c. p. 112. Obs. IV.
7) *E. Criticus* in Rust's krit. Repert. Bd. II. p. 308. Obs. III.
8) *Mass* l. c. p. 11.
9) *Ramisch* l. c. Obs. VI. p. 114.
10) *Hufeland* in s. Journal. Bd. 63. St. 5. p. 125—128.
11) *Jaeger* in Huf. Journ. Bd. 36. p. 30—36.
12) *Mass* l. c. p. 12.
13) *Burns* s. Göttinger gel. Anz. 1811. St. 43. p. 429.
14) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 49.
15) *Cruveilhier* l. c. p. 33.
16) *Krukenberg* l. c. p. 340.
17) *Wiesemann* in Horn's Archiv 1824. St. 5. p. 202.
18) *Cruveilhier* l. c. p. 28. 29. S. Auserl. Abhandl. Bd. VI. St. 2. p. 214.
19) *Desruelles* Journal univ. des scienc. med. T. XIX. p. 245.
20) *Sablairoles* l. c. p. 282.
21) *Westring* in Sammlung auserl. Abhandl. XIV. p. 568—579.
22) *Walsham* in Sammlung auserl. Abhandl. Bd. XIX. p. 565.

CAPUT IV.

DIAGNOSIS MORBI.

§. 9.

Jam nunc ut ad diagnosin properemus, eaque, quibus ab aliis simillimis, quod symptomata attinet, morbis differat, momenta exponamus tempus locusque esse videtur. Idque eo magis operae pretium esse videtur, quo magis praestantissimi quique medici ab omnibus hujuscemodi erroribus plane liberi esse non potuerint. Neque *Petri Frankii* [1]) verba nos fugiunt haec dicentis: „Ventriculus, cujus nemo mirabilem in homine cum quovis viscere et cum universo corpore consensum, — ac servitutem non minus, — quam in singula imperium ignorat, sub multis iisque gravioribus morbis, num in amicis organis, num vero in se ipso istorum sedes sit, dubium relinquit." Quod cum de aliis multis morbis valeat, tum in nostrum praeprimis cadere videtur. — Cum enim scriptores sint, qui ad unum omnia morbi hujusce symptomata fallacia esse contendant, ut *Jos. Krieg* [2]); nostra quam maxima intererit, ut claram morbi ab aliis similibus diagnosin statuamus. Et quamvis *Hessio* [3]), *Meissnero* [4]), aliis neque ullum esse signum morbi pathognomonicum et ubique obvium dicentibus, haud ita multa habuerimus, quae opponere queamus, nullum tamen et ne minimum quidem inde morbo nostro opprobrium redundabit, utpote cum ipsius adeo mortis signo aliquo certissimo hoc etiam tempore careamus. Sed complexus omnium symptomatum morbum construit, ejusque ut diversitatem ab aliis morbis demonstremus, hic labor, hoc opus esto.

Id autem quo luculentius fieri possit, symptomata Gastromalaciae maxime necessaria repetamus necesse est. Sunt autem haec prae caeteris memoria digna: — *Vomitus* [5]), per quem mucus et omnia omnino ventriculi contenta dejiciuntur, odore plerumque acido instructa; — *Diarrhoea*, quae massam viridiusculam vinive faecibus similem alvinam deponit, eamque eo largiorem, quo minus ad superiora contenta turgent; — *Sitis*, omnium vel maxime aegrotantes excrutians symptoma, neque ullo fere modo compescendum, quam in omni ventriculi inflammatione „extre-

---

1) *Petr. Frank* Epit. d. cur. hom. morb. Manheem. 1792. Lib. II. Ordo IV. gen. III. §. 229. p. 236.

2) *Krieg* in den Annal. f. d. ges. Heilkunde unter d. Redact. d. Mitglied. des Grofsherzogl. Bad. Sanitäts-Commission. Jahrgang II. Heft 1. 1825.

3) *Hesse* in den Altenburger med. Annalen 1812. December p. 1646.

4) *F. L. Meissner* Kinderkrankh. nach den neuesten Erfahr. etc. Leipzig 1828. Bd. I. p. 382.

5) Defuit tamen prorsus in casu a *Rhades* observato: Rhades in Horn's Archiv 1822. Stück 5. p. 228.; et ut symptoma minime characteristicum exprobratur in Rust krit. Repertorium. IX. Heft 2. p. 237.

mam" dixit *Petr. Frank* [1]); — *Dolor* epigastricae regionis aut nullus, aut non adeo vehemens, et qui ab aegroto tum demum, ubi digitis tetigerimus, sentiri et periodicus [2]) esse videatur; maximum tamen fuisse, ita ut tristissimum cum dentium stridore clamorem parvulus infans ediderit, *Hufeland* [3]) memoravit. Cum dolore abdominis *tumor* etiam et *tensio* conjuncta esse solet; — Porro *pedes, in primis sinister, ad abdomen attracti* [4]); — *Macies* cum corporis universi, tum colli, ubi cutis rugosa apparet, *viriumque* velocissima *jactura;* — *Pallor et frigus extremitatum,* capite interdum, abdomine et palmis nimium ferventibus. Neque *animi affectio* omittenda, quippe qui morosos plerumque, nimiumque vagientes, postea vero stupidos fere aegrotantes infantulos videamus, siquidem unum, sed in puella natu paulo majore obvium morbi nostri casum exceperis, a *Loewenthalio* [5]) descriptum, in quo ad ipsum mortis, sine omni convulsione vel edita etiam voce intrantis momentum perfecta aderat mentis animique hilaritas. — *Febris* modica esse solet, ita ut verissima illa in eandem *Petri Frankii* [6]) verba cadere videantur, dicentis „Febrem certorum potius morborum umbram, quam ipsum morbum esse." Attamen ubi adest non continua continens esse, sed typum aliquem, neque fixum tamen, remittentem servare videtur. Pulsum irregularum esse supra exposuimus.

§. 10.

Morbi igitur per teneram hanc infantum aetatem occurrentes, quibus cum Gastromalacia confundi quodammodo possit, hi praecaeteris notatu digni sunt.

1) *Vomitus cum diarrhoea,* ortus aut a nimia ventriculi sensilitate, aut ab ingestis, vel per qualitatem pravam aetatique infantili minime consentaneam, vel per quantitatem nocentibus. Quae cum in infantibus cachecticis emollitionem ventriculi adducere posse, inficias ire non possimus, tamen ubi et corpus et organa digestioni inservientia bene valent, mox exterminantur. Differt igitur hoc dyspepsiae genus a Gastromalacia primum conditione eorum, quae evacuantur (conf. §. 5.); deinde absentia plurium, nostro morbo propriorum symptomatum, ut sitis vehementissimae, odoris ex ore acidi, virium prostrationis, tristioris pallidaeque faciei habitus, soporis, frigoris extremitatum, maciei etc. Praeterea tales affectiones non nisi praesente causa occasionali florent; qua igitur per vomitum et diarrhoeam ex corpore remota, optima, quae antea fuerat, valetudo revertitur.

---

1) *Peter Frank* l. c. p. 247. §. 237.
2) *Meissner* Kinderkrankheiten etc. Bd. I. p. 371.
3) *Hufeland* im Journal. Bd. 36. St. 5. p. 126.
4) *Recensent* von Vogels Uebers. von Cruveilhier's Schrift, in Rust's krit. Repert. Bd. II. p. 312.
5) *Loewenthal* in Hufeland's Journ. Bd. 61. St. 1. p. 101. (1825.)
6) *Peter Frank* Epitome etc. Lib. I. §. 3. p. 2.

2) *Dentitio difficilis*, quae num morbus sit, necne multam medicis commovit controversiam, neque hoc tamen loco exponendam [1]), — fere eodem fulcitur discrimine, cum ab aucta pendeat ventriculi sensilitate. Plerumque cum brevi siccaque tussi, cum alvo maximam partem nimis frequente, mucosa vel lutea, alias tardiore, cum febris symptomatibus, somnolentia vel nimia agilitate, et, ubi longius tempus inde conficitur, cum emaciatione conjuncta esse solet [2]). Quae cum appropinquantis etiam nostri morbi suspicionem movere possint, facillime tamen ab eo dignoscentur, ubi, ore infantis aperto, gingivam turgidam videmus, ejusque marginem explanatam, salivam uberius profluentem, caloremque oris adauctam sentimus [3]). — Ex altera parte pathognomonica Gastromalaciae signa desideramus, quae, ne recitata usque teramus, in superioribus exposita reperiuntur.

3) *Colica infantum*, prout stercorosa, vel saburralis, vel flatulenta, quae quidem frequentissima, sit, cum majore vel minore abdominis tensione [4]), ciborum lactisve fastidio, vomitu rarius, quam diarrhoea, eaque mucosa, vel viridiuscula [5]), vel lutea, immixtis faecium frustulis, cum ejulationibus et utroque pede ad abdomen attracto, doloris periodici vagique testibus, cum respiratione anxia et concitata ingredi solet. Porro soni saepissime audiuntur in abdomine murmurantes; lenisque ejusdem frotatio, qua fit, ut flatus mittantur, dolores mitigat, qui, ubi dorso infantes incumbunt, augentur [6]). Ad faciendam autem Gastromalaciam adhuc desideratur: sitis tormina, faciei peculiaris ista tristitia, soporositas, odor ex ore acidus, febris etc.

4) *Helminthiasin* adesse certiores nos facit odor ex ore foetidus, sitis, appetitus ciborum lactisve adauctus vel imminutus, dentium stridor, Colica praesertim per ingesta nutrimenta oboriens, alvi depositio varia et irregularis, urina clara, macies, pulsus irregularis [7]). Maxime autem notandus videtur faciei habitus, cujus color subito mutatus, circuli circa oculos coerulei, ptosis aliqua et tremor utriusque palpebrae superioris, pupilla dilatata, pruritus nasi, qua de causa manus ad eum admoventur, medicum, ut de vermibus cogitet, attentum reddere debent. Praeterea peculiaria cuique vermium generi signa esse hic annotatum esse suffi-

---

1) Conf. *Meissner's* Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts. Bd. III. p. 220. *Sternberg* Erinnerungen und Zweifel gegen die Lehre vom Zahnen. Hannover 1802.

2) *Meissner* Kinderkrankheiten etc. I. p. 441.

3) *Wendt* Kinderkrankheiten systemat. dargestellt. Breslau und Leipzig 1822. p. 182—191. *Henke* Kinderkrankheiten. p. 224.

4) *Fleisch* Handbuch über die Krankheiten der Kinder. Leipzig. Bd. I. p. 316.

5) *Rosen von Rosenstein* Anweisung zur Kenntnifs und Kur der Kinderkrankheiten, übersetzt von Murray. Göttingen 1774. p. 38.

6) *Meissner* Kinderkrankheiten etc. I. p. 337. und Henke l. c. p. 173.

7) *Wendt* l. c. p. 587. — Meissner l. c. Bd. II. p. 19.

ciat [1]). Caeterum ipsorum vermium cum alvo dejectio diagnosin certissimam statuit, hujusque a nostro morbo discrimen indicat.

5) *Peritonitis* rarior in infantibus observari solet, et ubi est, ibi cum Enteritite plerumque conjuncta. Possemus igitur huic morbo forsitan prorsus supersedere, ni *Gregory* [2]) eandem in scrophulosis infantibus saepius sibi observatam commemoraret. Signa ejusdem erant potissimum dolor vel maxime urgens in abdominis regione aliqua fixus, quae ne minimum quidem, vel levissimum tactum ferret, caeteraque, quibus infantes dolorem exprimere solent, symptomata. Alvum per aliquot dies obstipatam diarrhoea larga excipiebat, mucosa, albida, vel subfusca. Ubi mors vitae morboque finem imposuerat, ibi neque ulla apparebant inflammationis signa, regionem illam ubi exceperis peritonaei alieno prorsus colore tinctam, rubicundam justoque minus pellucidam. Glandulas tamen meseraicas nullo modo affectas fuisse, idem litteris tradidit.

6) *Enteritis*, qua infantem quinque dies natum *Siebold* [3]) laborare et confici vidit, — his praeprimis signis sese manifestat. Dolor in aliqua abdominis regione fixus, per levissimum tactum adauctus, pedibusque ad abdomen retractis imminutus, omnium primum symptoma oboritur. Accedit febris cum calore sicca, siti, pulsu parvo, frequente atque celere, cum inquiete corporis animique, somnoque implacido. *Eusebius de Salle* lineam a narium alis ad angulos oris decurrentem justaque magis elevatam constans inflammationis signum praedicat. Alvus tarda, interdum Tenesmus adest cum muci excretione et spasmo urinam propellente. Vomitus non nisi inflammatione superiorem intestinorum partem infestante, oritur [4]). — Quantum igitur hi a nostro morbo distent, vel primus adspectus docet; utpote in quibus neque vomitum, nostrum morbum non nisi rarissime deficientem, neque Diarrhoeam, neque maciem viriumque jacturam tam cito orientem, neque soporem etc. observare possimus. Praeterea ipsa doloris natura sat luculenter inflammationem indigitat.

7) *Gastritis*, manifesta ventriculi inflammatio, huc non referenda videtur, quippe quam in infantibus tantum natu majoribus, duos ad quinque annos natis obviam, *Fleisch* [5]) testatur. Ibi autem perquam frequentem jam *Montagnana* sub nomine: „Brennfieber" et *Saillant* [6]) descripserunt: recentiore autem tempore

---

1) *Rosen von Rosenstein* l. c. p. 482. 483.
2) *Gregory* in d. neuen Sammlung auserl. Abhandl. f. pract. Aerzte. Bd. VII. St. 2.
3) *Siebold* Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer und Kinderkrankh. Bd. VIII. Heft 1. 1817.
4) *Meissner* l. c. I. p. 54. 55.
5) *Fleisch* l. c. p. 382.
6) *Saillant* in hist. et memoires de la societé de Médecine an. 1786. Vol. III. p. 327—337. übers. in Sammlung auserl. Abh. Bd. XV. St. 4. Auch in Hufeland's Annal. der französischen Heilkunde. Bd. II. p. 41.

Heim [1]) saepissume a se observatam retulit. Signa ejusdem maxime notabilia sunt: dolores in abdomine vehementissimi, saepius per octavam horae partem remittentes, magna anxietas, respiratio oppressa, cutis arida, oculi splendore privati. Saepius removent ejusmodi aegrotantes, involuntario fere modo, vestimenta a regione epigastrica, tensa calidaque, neque levissimum tactum ferente, manibusque eandem petunt. Postea aut solvitur morbus, aut in alios morbos transit, aut mortem adducit, quippe quae ad gangraenam promptissima sit, quam et sectiones cadaverum una cum inflammationis signis demonstrant.

8) *Febris meseraica*, cujus infantili aetati vel maxime congruam naturam primus *Baglive* [2]) descripsit, ipsumque hoc nomen constituit, hunc decursum servare solet. Lassitudine, anorexia et aegrimonia per aliquot temporis spatium praegressa, frigus intrat, celeriter subsequente calore. Simul ciborum fastidium, quin ipse vomitus cum capitis dolore sitique accedunt. Regio epigastrica paulisper inflata, tensaque reperitur. Cutem siccam calidamque, pulsum frequentem duriusculum sentimus, respirationem accelaratam videmus. Alvus plerumque tarda [3]), medicamentis vero facile ducenda, urina non obscurior quidem normali, sed cum nubecula instructa est. Quem Baglive semitertianum Typum esse dixit, eum *Wendt* [4]) continuum remittentem declaravit, ita tamen, ut prioribus morbi diebus exacerbationes plures uno eodemque die intrarent, posterioribus vespertina tantum febris accessio oriretur. Solvitur autem haec febris aut per alvum frequentiorem aut urinam nubeculam continentem, aut per sudorem matutino tempore intrantem; aut transit in febrem putridam, malignam, per soporem, carphologiam, convulsiones, maculas cutis lividas, oculos languidos, foetorem oris etc. conspicuam et aegrotum per diarrhoeam sudoresque uberrimos mox conficientem. Sectio cadaverum intestina tenuia gangraenosa, mucoque albo, tenace vel luteo, vel griseo obsita monstravit. — Hujus igitur a Gastromalacia diversam qualitatem sat luculentam morbi decursus denotat.

9) Maximi vero momenti sine dubio diagnosis est Gastromalaciae ab *Hydrocephalo*, utpote qui et ipse cum organorum digestioni inservientium labe conjunctus esse soleat, et haud ita rarus vel in Gastromalaciam abeat, vel illi accedat. (conf. §. 8.) Sunt autem haec pathognomonica hydrocephali a nostro morbo diversa signa [5]): Exanthema quoddam tenue, parvum, squamosum, Strophulo simile,

---

1) *Heim* in Horn's etc. Archiv. Bd. VIII. Heft 1. p. 181.
2) *Baglive* de praxi medica. Lugd. Batav, 1699. Lib. I. Cap. IX.
3) *Pemberton* pract. Abhandl. über versch. Krankheiten des Unterleibes; a. d. Engl. von G. v. d. Busch. Bremen 1817. p. 166.
4) *Wendt* Kinderkrankheiten etc. p. 231.
5) *Formey* Verm. med. Schriften. Bd. I. Berlin 1821. p. 185.

in genis apparens; — urina turbida, parca, particulas, ubi subsederit, continens splendidas [1]); — animi perturbatio admodum conspicua cum vagitu stridente; — fastidium ciborum, vomituritiones, quin ipse vomitus [2]), peculiari aliquo odore praeditus, sed tunc praesertim, ubi vel caput corpusve moverint, vel potum assumserint, oboriens; — alvus plerumque adstricta, parcaque, rarissime laxa [3]); — aurium tinnitus [4]); — sommolentia sine somno. In stadio altero, exsudationis infantes fronti incumbere, signum admodum characteristicum *Schmalz* retulit [5]). Pulsum praeterea antea concitatum, inaequalem, nunc mollem, parvum, admodum irregularem, intermittentem [6]); respirationem difficilem, calorem sitimque imminutam; gravitatem porro corporis, capitisque, Strabismum, sensus antea perquam subtiles, nunc, praeter auditum, obtusos reperimus, qua de causa pupillam plerumque dilatatam, rarissime coarctatam [7]); corneam pulvere quasi albido conspersam videmus [8]). In tertio tandem, paralyseos stadio, hemiplegia saepius, convulsiones, tremor artuum, amaurosis, surditas, apathia; vomituritiones, febris vehementissima, sudores frigidi, glutinosi, pulsus tremulus et intermittens; respiratio brevis, stertorosa, extremitatum frigus, una cum capitis calore etc. observantur, usque dum solutis spasmis placida mors morbo vitaeque finem imponat. — Diversitatem igitur hujus a nostro morbo uberius explicare supercacaneum esse videtur; caeteroquin accedit, quod plurimi scriptores haereditariam huic morbo praedispositionem tribuant [9]).

Sed haec quidem, ne nimium augeatur dissertationis hujusce volumen sufficiant, licet diagnosin a primo stadio *Aphtharum*, vel a *Cholera*, nobis tamen minus, quam Americanis borealibus, potissimum Philadelphiae incolis, usitata, ibique infantes duarum hebdomatum praecaeteris infestante, addere possimus.

---

1) *Matthey* über die Gehirnwassersucht a. d. Franz. von Wendt. Leipzig 1821.
2) *Henke* Kinderkrankheiten. Frankf. a. M. 1818. Bd. II. p. 129.
3) *Peter Camper* Mémoires de la societé de la Méd. 1784. p. 46.
4) *Odier* med. chir. Abhandl. von der Kopfwassersucht der Gehirnkammern a. d. Franz. Leipzig 1785. p. 5.
5) *Schmalz* Versuch einer med. Diagnostik. p. 14.
6) *Horn's* etc. Archiv. Jahrgang 1821. Heft 4. p. 22.
7) *Peter Frank* Opp. omn. Lib. VI. p. 194.
Whytt Sämmtliche Schriften, a. d. Engl. Berlin 1790. p. 482.
8) *Horn's* etc. Archiv l. c. p. 16.
9) *Peter Frank* Epitome d. cur. hom. m. Vol. VI. p. 183.
Formey in Horn's etc. Archiv 1810. I. p. 219.
Quin über die Gehirnwassersucht. Leipzig 1792. p. 18.
Cheyne über den acuten Wasserkopf, a. d. Engl. Bremen 1809. p. 20.
Odier in d. Samml. auserl. Abhandl. Bd. IX. p. 338.

CAPUT V.

CADAVERUM SECTIO.

§. 11.

Quam in uno quoque morbo maximi momenti putamus cadaverum sectionem, ea quin in nostro etiam morbo, tanta adhuc tenebrarum mole circumvoluto, quam maxime respicienda sit, extra omnem dubitationis aleam positum est. Quum igitur jam in eo simus, ut uberiorem ejus mentionem faciamus, primum, quae externus adspectus demonstret, deinde, quae in ipso ventriculo et intestinis obvia sint, et ultimo tandem loco caeterarum, quibuscum morbus complicitus erat, affectionum causam, in dissecto videlicet cadavere apparentem, exponamus. —

Videmus autem eorum, qui, cum nostro morbo laborarent, supremum diem obierant, cadavera plerumque macie admodum confecta, ita ut cutis mollis sit nimisque ampla videatur, quo fit, ut rugarum speciem induat, praesertim in collo et extremis corporis partibus conspicuarum. Eadem in putredinem plerumque citissime abeunt, per coeruleas, in dorso et regione pubis praesertim notabiles maculas [1]) sese manifestantem. Ita abdomen, interposito horarum circiter triginta sex spatio, coerulescens lividumque, unus ex multis, *Loewenthal* [2]) vidit; quod ipsum tympanitico interdum modo inflatum *Jaeger* [3]) et *Becker* [4]) commemoraverunt. Quin elapsis vix viginti quatuor horis maculas illas dorsum obsidentes, regionemque epigastricam colore viridi in coeruleum vergente instructam vidimus. Neque rigorem sic dictum emortuorum ostendunt, sed facile flecti possunt.

§. 12.

Maxima autem memoria dignam speciem ventriculus exhibet, membranarum duntaxat suarum emollitionem. Praeciso enim vel retracto omento majore et retentis intestinis, ventriculum videmus nimia praeprimis instructum laevitate, tenuitate et pelluciditate [5]). Simul plerumque color a norma recedens, viridiusculus, plumbeo-griseus vel coerulescens observatur; in aliis rubicundus, inflammati similis, ejusque vasa, cerea quasi atque colorata massa injecta [6]) apparent.

---

1) *Krukenberg* Jahrbücher II. p. 341.
Becker in Hufeland's Journal. Bd. 64. St. 3. p. 12.
2) *Loewenthal* in Hufeland's Journal. Bd. 61. St. 1. p. 101.
3) *Jaeger* in Hufeland's Journal. Bd. 36. St. 1. p. 20.
4) *Becker* ibid. Bd. 64. St. 3. p. 12.
5) *Meckel* patholog. Anatom. Bd. II. Abtheil. 2. p. 11.
6) *Loewenthal* in Hufel. Journ. Bd. 61. St. 1. p. 102.

Destructionis autem tres gradus distinguendi videntur: primus enim, omnes ventriculi membranas illaesas, quod structuram attinet, monstrat, dissolutas tantum, paulisper tumidas, atque emollitas. In majore morbi gradu tunicam mucosam pariter ac muscularem prorsus resolutam videmus atque ita destructam, ut normalis structurae vestigium frustra desideremus, sed omnis massa sit homogena, facillime detergenda [1]), gelatinosa, pellucida, ita ut omnis ventriculi, facillime dirumpentis et in gelatinam abeuntis forma per solum peritonaei involucrum servetur. Ubi ad tertium eumque maximum gradum provectum morbum videmus, ibi membranae omnes cum peritonaeo in massam illam conversae atque perforatae apparent, ita ut foramen adsit, marginibus mollibus, pulposis, fimbriatis instructum, illisque per Kali causticum effectis admodum simile [2]). Notatu dignum est, eos margines semper infundibuliformes fuisse et ad exteriora revolutas [3]). In aliis casibus morbosa ea loca circumcirca rubro colore tincta [4]), in aliis neque ulla inflammationis antea praesentis vestigia reperiri potuerunt [5]). Neque ullam tamen substantiae jacturam, sed laesionem tantum continuitatis adesse *Becker* contendit [6]).

In aliis partes illae destructae et emollitae certa quadam linea ab iis, quae ne minimum quidem a norma recesserunt, distincta erant [7]), in aliis foramen aderat cum omnium membranarum destructione, deinde tunica tantum musculosa et mucosa morbosam formam servabant, usque tandem haec sensim sensimque in normalem transiret. — Magnitudo foraminis varia quidem esse potest, plerumque ea tamen, quae quadrati pollicis magnitudinem aequaret; sed foramen etiam hunc modum excedens, tantaque magnitudine excellens ut totum splen idem expleret, *Cammerer* notavit [8]).

Plerumque ventriculus, gasi evoluto inflatus, turgebat, atque humorem continebat mucosum, pulposum [9]), odorem admodum acidum spargentem [10]), neque

---

1) *Jaeger* in Hufel. Journ. Bd. 36. St. 1. p. 35. — *Loewenthal* l. modo c.

2) *Laisné* Considerations medico-légales sur les erosions et perforations de l'estomac. Neue Sammlung auserl. Abhandl. Vol. IV. St. 4.

3) *Meissner* Kinderkrankheiten. Bd. I. p. 378.

4) *Burns* l. c. p. 132. — *Jaeger* in Hufel. Journ. Bd. 32. St. 5. p. 16. — *Loewenthal* in Hufeland's Journ. Bd. 61. St. 1. p. 101. — *Cammerer* Versuche über die gallertartige Magenerweichung Krankengesch. No. 34. 43.

5) *Krukenberg* Jahrbücher II. p. 345. — *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 14. 15. — *Meissner* l. c. I. p. 378. — *Rhades* in Horn's Archiv 1822. St. 5. p. 237. — *Wiesemann* ibid. 1824. St. 5. p. 204.

6) *Becker* in Hufeland's Journal. Bd. 64. St. 5. p. 29.

7) *Jaeger* ibid. Bd. 32. St. 5. p. 14. Bd. 36. St. 1. p. 21.

8) *Cammerer* l. c. p. 3.

9) *Meckel* pathol. Anat. Bd. II. Abhandl. 2. p. 11.

10) *Krukenberg* l. c. Bd. II. p. 432 et p. 345.

unquam tamen foetidum [1]); vel etiam massa scatebat lutea, aquosa, parva lactis concretae frustula continente, eodemque odore praedita. Quin tanta interdum aciditate instructam, ut chartam Tinctura Laccae imbutam rubefaceret, isque color ne siccam quidem relinqueret, *Jaeger* nobis tradidit [2]). — In aliis internae ventriculi membranae pigmentum adhaerebat, sordidum, nigrum, sedimento coffeae simillimum [3]); in aliis humor aderat mucosus in rubicundum colorem vergens, quem dissolutam tunicam mucosam *Loewenthal* recensuit [4]).

Neque locus ne in ventriculo quidem unus semper idemque erat, licet regionem ventris lieni maxime propinquam et posteriorem frequentissimam et si latius malum extendebatur, potissimum laborantem morbi sedem esse observationes docuerunt [5]). Is igitur locus etiam est, in quo foramina conspici solent, id, quod *Huntero* [6]), ut succum gastricum ibi potissimum, ut qui sit locus maxime proclivis, commorantem causam perforationis nominaret, persuasit. — Verum anteriorem etiam ventriculi parietem emollitum [7]), cadaverum sectiones monstrarunt, et *Jaeger* [8]) in uno aliquo casu hunc potissimum sedem morbi, illamque lieni vicinam regionem, multo duriorem reperit. *Becker* [9]) regionem curvaturae magnae, a pyloro duos dimidiumque pollices distantem, perforatam salva cardiae regione commemoravit, latius tamen vergente tunicae intimae destructione. — Totum autem ventriculum cum omnibus intestinis tenuibus eo, quo descripsimus modo destructum unaque perforatum *Krukenberg* [10]) vidit; totum vero tractum intestinorum ad rectum usque, salvis reliquis visceribus emollitum in quatuor cadaveribus sibi repertum, *Burns* [11]) nobiscum communicavit.

§. 13.

Haec fere esse putamus, quae et a nobis observata et historiis de morbo nostro conscriptis probata, de ipsius ventriculi affectione memoria digna videban-

1) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 15.
2) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 15. p. 27. p. 41. 49.
3) *Krukenberg* l. c. II. p. 343. 345. — *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 20. — *Jaeneke* diss. d. Gastrit. chron. Berol. 1830. p. 19.
4) *Loewenthal* in Hufeland's Journal. Bd. 61. St. p. 101.
5) *Meckel* pathol. Anat. Bd. II. Abtheil. 2. p. 11. — *Krukenberg* Jahrb. II. p. 342. 348. — *Jaeger* in Hufel. Journ. Bd. 32. St. 5. p. 13. 14. — *Loewenthal* ibid. Bd. 61. St. 1. p. 101. — *Hufeland* im Journal. Bd. 63. St. 5. p. 127. — *Becker* ib. Bd. 64. St. 5. p. 29. — *Krüger* in Horn's Archiv Jahrg. 1824. St. 1. p. 109. — *Rhades* ib. 1822. St. 5. p. 236. 240. — *Wiesemann* ib. 1824. St. 5. p. 204.
6) *Hunter* observations on different parts of animal oeconomy, übersetzt von Scheller, p. 300.
7) *Allan Burns* l. c. p. 135. — *Meckel* path. Anat. II. 2. p. 12.
8) *Jaeger* in Hufeland's Journ. Bd. 36. St. 1. p. 41.
9) *Becker* ib. Bd. 64. St. 3. p. 12.
10) *Krukenberg* l. c. II. p. 344.
11) *Burns* l. c. p. 137.

tur. Sed et alias tubi intestinalis regiones iidem morbo obnoxias esse iis, quae in dissectis cadaveribus reperta sunt, luculentissime demonstratur. Igitur ut et de his aliquid addamus, ab oesophago incipiamus. Eum enim eodem, quo ventriculum diximus, modo affectum atque destructum *Jaeger* [1]) reperit, et ita quidem, ut quae medio thorace contineatur oesophagi pars, cardiae proxima, salva, ventriculus rursus destructus fuerit. Idem *Senn* et pro parte *Rhades* [2]) repertum retulerunt.

Intestina tenuia in massam illam homogeneam, facillime dirrumpentem, gelatinosam pellucidamque conversa, atque transverse plicata *Krukenberg* [3]) perhibuit. Simillimo modo inferiorem ilei partem, simul cum signis inflammationis *Jaeger* [4]) observavit. — Neque quae crassa dicitur tubi intestinalis pars, ab hoc morbo salva esse potuit et inviolata. Nam colon adscendens maximamque transversi partem ita destructam et illaesis quidem ventriculo et intestinis tenuibus, ejus, qui maximam sibi omnium de cognoscenda hujus morbi natura gloriam paravit, *Jaegeri* inquam, observationem [5]) subiit.

Quin et alias aliorum organorum partes ibi potissimum destructas videamus, ubi per foramen in oesophagi, ventriculi, aliusve regionis intestinorum parietibus ortum, eorum contenta perquam acida in thoracis vel abdominis cavitatem emanaverant [6]). Tales normalis structurae degenerationes *Jaeger* et *Cammerer* [7]) observarunt in diaphragmatis parte, ventriculo maxime vicina, neque in membranoso ejusdem tandum peritonaei involucro [8]), sed musculosa etiam parte. Idem ille Pleurae posteriorem utriusque lateris, sed sinistri maxime, partem una cum ea, quae posteriorem pulmonum superficiem circumdat, destructam commemorat.

Praeterea ubi ventriculus mortis causam continebat, intestina tenuia, et ubi ipsa haec affecta erant, colon descendens et rectum vel nimia gasium evolutione tensa erant atque inflata, vel hic illic contracta, omninoque pallida [9]). *Hufeland* [10]) flexuram coli sinistram profunde in pelvim depressam vidit; saepius tamen intussusceptiones tenuium observatae sunt [11]).

---

1) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 16. Bd. 36. St. 1. p. 36.
2) *Rhades* in Horn's Archiv 1822. St. 5. p. 237.
3) *Krukenberg* l. c. II. p. 345.
4) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 10.
5) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 34. 49.
6) *Meckel* l. c. II. Abtheil. 2. p. 12.; hinc etiam factum est, ut magnam humoris lactei copiam *Becker* (l. c. Bd. 64. St. 3. p. 15.) in abdomine reperiret.
7) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 35. — *Cammerer* l. c. Krankengesch. No. 30. 45. 48. 49.
8) Quale exemplum legimus in Hufel. Journ. Bd. 36. St. 1. p. 41.
9) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 20. 23. 41. 49.
10) *Hufeland* im Journal Bd. 63. St. 5. p. 127.
11) Tübinger Blätter für Naturwissensch. und Arzneikunde. Bd. II. St. 1. p. 120. — *Krüger* l. c. 1824. St. 1. p. 109.

§. 14.

Caeterum non est, quod moneamus, in illorum sectione, qui complicata aliqua Gastromalaciae specie laborantes, supremum diem obierant, illarum complicationum vestigia, secundum morbi antea praesentis malignitatem, plus minusve exculta variaque reperiri. Prae reliquis tamen omnibus frequentissima elucet capitis cerebrique affectio. Alio enim loco cum serra capitis ossa penetraret aquam profluxisse *Krukenberg* [1]) memorat, in alio serum rubicundum basi cranii subsidens; in alio intra piam matrem et arachnoideam accumulatam se vidisse narrat. Ejusdem rei testem *Jaegerum* [2]) habemus. Aquam porro in ipsis cerebri ventriculis accumulatam iidem (l. c.) memoriae tradiderunt. Aërem continuisse ventriculos laterales, ideoque paululum inflatos fuisse *Krukenberg* [3]) nobis perhibuit. — Neque Encephalititis antea praesentis signa, qualia sunt nimia vasorum sanguinem continentium impletio, cerebrum ipsum nimis rubrum, ejusque substantiam aut nimis mollem [4]) aut justo duriorem [5]), eosdem viros latuerunt. Medullam vero oblongatam pontemque Varolii semper induratam, reliqua licet cerebri parte molliore, *Rhades*, *Cammerer* [6]), alii laudaverunt.

In aliis nimia sanguinis in pulmonibus accumulatio, color eorum rubicundior, cum maculis hinc inde magis opacis, durities, aliaque Pneumoniae signa manifesta affuerunt [7]). Porro tubercula in pulmonibus, adhaesiones utriusque pleurae superficiei, serum sanguineum effusum, bronchia et arteria aspera paulisper rubra vel muco obtecta reperta sunt; sacci pleurae aquam continuerunt, et larynx admodum notabilem inflammationis speciem prae se tulit [8]). — Hepar diaphragmati annexum, tumidum, rubicundum et sanguinis plenum [9]), cystisque fellea bile scatens admodum spissa atque opaca [10]), Hepatis statum inflammatorium indigitarunt.

Lien justam longitudinem nonnunquam excessit [11]), et fere semper emollitum secundum *Hessii* observata fuit, Glandulae meseraicae fere semper tumidae, justoque duriores, interdum speciem aliquam inflammatoriam sibi conciliaverant.

---

1) *Krukenberg* l. c. II. p. 341; 113. — *Rhades* l. c. 1822. St. 5. p. 232.
2) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 17. Bd. 36. St. 1. p. 26. p. 42.
3) *Krukenberg* l. c. II. p. 348.
4) *Krukenberg* l. c. II. p. 341. 347.
5) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 20.
6) *Rhades* l. c. 1822. St. 5. p. 240. — *Cammerer* l. c. p. 10.
7) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 26. 35. Bd. 32. St. 5. p. 17. — *Rhades* l. c. 1822. St. 5. p. 234.
8) *Krüger* l. c. 1824. St. 1. p. 112.
9) *Loewenthal* l. c. Bd. 61. St. 1. p. 101. Hufeland's Journ. Bd. 63. St. 5. p. 127.
10) *Krukenberg* l. c. II. p. 348. — *Krüger* l. c. 1822. St. 1. p. 110. — *Wiesemann* l. c. 1824. St. 5. p. 204.
11) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 49.

§. 15.

Quibus omnibus, quantum potuimus, enarratis, operae pretium fieri nobis videtur, si, quibuscum aliis affectionibus confundi possit ventris emollitio, secundum localia maximeque constantia signa, quibus morbus in dissecto cadavere apparet, paucis hoc loco recenseamus; cujus quidem rei diagnosi eo magis incumbendum esse videtur, quo magis *Autenrieth* [1]) medicos forenses, ut data occasione ventriculum probe perscrutarentur, commonefecit. —

Maxima similitudo Gastromalaciam infantum inter et potatorum versatur, ita, ut quae morbi nostri exempla hominum natu majorum narrantur, haud satis sciamus, an non ad hanc potatorum potius malaciam revocanda sint. Quam quidem rem, prius jam observatam, ut penitus investigaret, *Collet-Meygret* [2]) in animalibus experimenta instituit. Utriusque autem morbi discrimen jam *Jaeger* [3]) stabilivit, et potatorum ventriculum emollitum quidem et dirruptu facillimum, sed attenuatum, neque pulposum, sed friabilem descripsit, ejusque villosam pruneam vel nigricantem et aequabiliter varicosam notavit. —

Minoris momenti, quod nostrum morbum attinet, dijudicatio est macularum in cadaverum ventribus inventarum, qua de causa, ne longius producatur sermo noster ad §. tertiam decimam lectores benevolos relegare nobis liceat, et ad ea, quae *Wendelstaedt* [4]) uberius exposuit. *Portal* [5]) autem ne maculas omnes in ventre repertas nigras signa veneficii putaremus, nos admonuit; itemque ne quem ruborem ventris cunque observaverimus, ad inflammationem praegressam revocaremus, *Yeholy* [6]) medicos hortatus est, quippe qui saepius ipso demum mortis momento oriatur, impedito sanguinis circuita.

Maximum autem respectum habeamus ad destructiones ipsas ventriculi membranas perforantes necesse est, praesertim cum foramina a veneficio arsenicali orta, cum illis ab emollitione pendentibus commutata esse, experientia nos docuerit [7]). Neque hanc tamen similitudinem tantam esse, jam *Jaegerus* [8]), periculo in canibus facto, perhibuit. Accedit, quod ventriculus post arsenicum sumtum plicatus quasi apparuerit, crustamque gangraenosam, omnes membranas perforantem ostenderit [9]).

---

1) *Autenrieth* Anleitung für gerichtl. Aerzte. Tübingen 1800. p. 67.
2) *Collet-Meygret* im Journ. de physique par de la Metherie. Tom. 55. a. 1802. p. 427.
3) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 15.
4) *Wendelstaedt* über Beurth. der 6. Sect. vorgef. Flecken im Magen in Kopp's Jahrbücher der Staatsarzneikunde, Jahrg. II. s. 169 etc. Vergl. Salzburger med. chir. Zeitung, Jahrg. 1810. Bd. II. p. 124.
5) *Portal* in d. Samml. auserl. Abhandl. Bd. XXIII. p. 137.
6) *Yeholy* med. chir. Transact. Vol. IV. London 1813. p. 370.
7) Edinb. med. and. surg. Journ. Vol. VI. 1810. p. 385.
8) *Jaeger* l. c. Bd. 38. St. 1. p. 16. (1814.)
9) *Reil's* Archiv f. d. Physiologie. Bd. IV. p. 380.

Schobinger [1]) eodem in casu ventriculi vasa velut cerea rubraque massa injecta reperit. Aliorum autem foraminum ab aliis venenis ventriculum ex diametre infestantibus ortorum descriptionem optimam *Laisné* [2]) nobis exhibuit. Is autem margines potissimum respiciendas esse docuit, quippe quae semper venenum antea sumtum certissime indicarent. Itaque foramina per acidum nitricum, in cujus vires acrius *Tartra* [3]) inquisivit, effecta marginibus flavis elucere; quae acido sulphurico ortum debeant, nigras margines habere; haustum autem acidum borussicum, villosam ventriculi mollem quidem facillimeque detergendam, sed venas atro etiam spissoque sanguine, amygdalos amaras redolente, repletas reddere [4]).

Maxime autem notabilis est habitus foraminum a Gastromalacia pendentium infundibuliformis, cujus margines praeterea attenuatas *Becker* [5]) esse vult, cum post veneficium a norma non recederent. Caeterum laesae etiam oris, faucium et oesophagi partes, venenum indicabunt et analysis chemica certissimos nos faciet; siquidem omnia, quae ventris membranas adoriantur, venena mineralia esse contendant, licet *Strassberg* [6]) Strychninum quoque tunicam villosam, inflammatam antea, corrodere notaverit.

Praeterea observantur interdum foramina omnes ventriculi membranas perforantia, rotunda, veluti excisa, marginibus laevibus, tenuibus, omnique vel inflammationis, vel ulcerationis, vel gangraenae, vel malaciae vestigio carentia, quae ab ipsa tantummodo membranarum attenuatione ortum ducere videntur [7]).

Alia quae reperiuntur ventriculi foramina, extrinsecus ejus membranas perforaverunt, praesertim cum organa per adhaesiones cum eodem connexa, ulceratione conficiantur, qualia exempla de exulcerato omenti minoris tumore *Praël* [8]) nobis narravit, et de liene, ulceratione absumto, *Coze* [9]) memoriae tradidit. — Membranae ventriculi in aliis, rarioribus tamen casibus, cribri ad instar perforatae repertae sunt; quale exemplum, per veneficium ortum, *Ballonius* memoriae tradidit et *Rahn* [10]) narravit.

---

1) Epistol. ab eruditis viris ad Alb. Haller. script. Vol. III. p. 528.
2) *Laisné* médec. légale par Leciéux, Rénard, Laisné et Rieux à Paris 1819 p. 137. Neue Sammlung auserl. Abhandl. Bd. IV. p. 606.
3) *E. Tartra* traité de l'empoisonnement par l'acide nitrique. Paris 1802. p. 147—151.
4) *Kopp's* Jahrb. der Staatsarzneikunde, Jahrgang 8. p. 356.
5) *Becker* Hufel. Journ. Bd. 64. St. 3. p. 50.
6) In *Murray's* med. chir. Bibliothek. Bd. II. p. 429.
7) *Becker* l. c. Bd. 64. St. 4. p. 19.
8) *Praël* in Horn's Archiv 1825. St. 5. p. 247.
9) *Coze* im Journal de Médecine 1790 Fevr. Auch in Hufeland's neuesten Annalen der franz. Arzneiwissenschaft. Bd. I. p. 158.
10) *Ballonius* Paradigmata. No. 144. — *Rahn* Briefwechsel mit seinen ehemaligen Schülern. Sammlung II. Zürich 1790. p. 451.

Perforationum ventriculi ab ulceratione, et gangraena aliisque pendentium signa, ne nimis producatur sermo noster, timentes omisimus, unde quidem eo minus damni diagnosi Gastromalaciae locali redundare putamus, quo certiora atque pathognomonica sua illorum cuique signa reperiantur.

CAPUT VI.

AETIOLOGIA.

§. 16.

Infantes et tenerrimos quidem quosque huic morbo maxime obnoxios esse et virorum doctissimorum verba docent, et experientia probat. *Jaeger* [1]) enim infantulos quatuor menses ad sesqui annum tantummodo natos, Gastromalacia laborare contendit, (licet quatuor afferat exempla Gastromalaciae in hominibus natu majoribus a se observata [2])); eadem contendentibus *Fleischmann*, *Meckel*, *Becker*, *Richter* [3]) etc. Neque tamen omnia, quae in hominibus natu majoribus observata exempla medici laudant, huc referenda videntur, quippe quae vel a Gastrobrosi exulcerata [4]), vel venenata [5]) pendeant, vel etiam nimio spirituosorum usui ortum debeant. (conf. §. 15.) Neque *Hunteri* exempla huc pertinere, vel inde patet, quod, licet neque ullius morbi in vivo homine symptomata affuerint, nihilo secius tunica ventriculi mucosa emollita apparuerit; id, quod igitur non morbo alicui ventris sed subito cessanti potius cerebri functioni tribuendum est.

Igitur proprium esse aetatis infantilis morbum constat; cujus quidem rei causam ut reddamus hic locus esto! — Quum itaque sui cuique aetati morbi sint, arctissime cum corporis constitutione pariter atque evolutione juncti, praedispositionem aliquam ad nostrum morbum infantibus subesse necesse est. Neque hanc frustra quaerimus. Nam infans, ad lucem editus, cum novum prorsus domicilium intrasset, omnibus, quibus multis obnoxii sumus, potentiis nocentibus vel maxime expositus est. Eae quidem primum cutem infestant, admodum teneram, neque ei, qua fruimur aëris constitutione assuetam, unde varia exanthematum genera ortum

---

1) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 9.

2) In puella scilicet novum annos nata, l. c. Bd. 52. 5. p. 18., in juvene Bd. 32. 5. p. 20., et in duobus provectioris aetatis viris Bd. 32. 5. p. 20. et Bd. 36. 1. p. 42.; licet tria illa novissime commemorata exempla huc non pertinere videantur.

3) *Meckel* l. c. II. 2. p. 12. — *Becker* l. c. Bd. 64. St. 5. p. 31. — *Richter* l. c. 1824. St. 5. p. 223.

4) *Becker* l. c. St. 3. p. 3—11.

5) *Burns* l. c.

suum ducunt. Quantam autem cutis externa cum internis tractus intestinalis membranis conjunctionem alat, experientia docet. Alia multorum malorum causa novae nutritionis rationi subest, cui celerior quidem sed minus valida digestio accedit, qua fit, ut facillime in recoquendis nutrimentis elanguescat, et ad aphthas, atrophiam, diarrhoeam, pyrosin, nostrumque morbum producendum fundamentum praebeat [1]).

Neque minorem rationem habeamus necesse est mollitiei per se majoris atque teneritatis, qua organismus infantilis eminet, junctae cum majore cerebri et nervorum sensilitate; praedominantis cerebri in corpus effectus ejusque tam arcti cum organis nutritioni inservientibus nexus [2]); irritatae porro totius corporis conditionis eo tempore, quo dentes prorumpunt. — Quae quidem omnia, ubi bene perpenderimus, mirum sane nobis esse non potest, quod vel levissima accedente causa occasionali, organa infantum gastrica perturbentur, quippe quibus omnis organismus inserviat. Neque ex iis ventriculus maxime affectus esse non potest, utpote qui *Helmontiani* Archaei ad instar, omne digestionis negotium absolvat et primum rerum nocentium extrinsecus illatarum diverticulum et succi gastrici fons sit, cujus rationem in explicando nostro morbo haud minimam habere necessarium putamus.

§. 17.

Neque hunc tamen, et sanum quidem, cum *Huntero* aliisque quum unam Gastromalaciae causam praedicare non possimus, sed et morbosam ejus et membranarum ventriculi conditionem necessariam putemus, quaenam ejusdem causae sint occasionales, paucis exponamus. Quamvis enim *Meissner* [3]) sine certa aliqua causa infantes in morbum incidisse memoraverit, tamen, quin ea affuerit, licet paulo obscurior atque adumbrata, nulli dubitamus.

Sunt autem tria potissimum causarum, quae huic nostro morbo viam sternunt, genera; primum, quod organa digestioni inservientia et ventriculum praecaeteris, ex diametro laedit, ejusve actionem turbat vel pervertit; — alterum, quod per metastasin morbum adducit, eos scilicet morbos continens, qui cum cutem antea aggressi sint, oppressi intestina petant; tertiumque, quod per sympathiam, qua cerebrum et ventriculum inclaruisse notavimus, et illud et hunc afficit.

Quae ad primum genus morbi nostri causae pertinent, haec fere sunt: mala lactis materni vel nutricii conditio; educatio infantum sine mamma; cibi difficile

---

1) Conf. *Hartmann* Theorie der Krankheit oder allg. Pathologie. Wien 1823. §. 611. p. 460.
2) *Meissner* l. c. Bd. I. p. 58.
3) *Meissner* l. c. Bd. I. p. 368. 369.

digerendi, respectu scilicet aetatis infantilis (*Krukenberg*[1]), *Pitschaft*); praecox nutritionis mutatio; dentitio difficilis, vermiumque varii in corpus effectus (*Meissner*[2]), licet ipsi turbatae jam tractus intestinalis functionis testes et effectus sint. Unde factum esse videtur, quod *Gairdner* retulit, in nonnullis gentibus Gastromalaciam domesticam fere fuisse atque indigenam[3]). Idem Eccoprotica arguit ad removendum meconium statim propinata, postquam ad lucem infans editus erat.

Ad alterum causarum genus et suppressa cutis externae transspiratio revocanda est (*Hesse* et *Lenhossek*[4]) et varia, quibus aetatem infantilem obnoxiam diximus, exanthemata (morbilli, scarlatina, roseola, quin et variolae), tum praesertim, ubi per admissum cutis refrigerium repressa, interiora petierint (conf. §. 8.[5]).

Tertio tandem generi adscribenda prae caeteris inflammatio est cerebri ipsius, vel ejusdem membranarum aeque ac hydrocephalus acutus; quin *Pitschaft* etiam maturam psychicae vitae evolutionem in judicium vocet, arctissimo fulciens nexu cerebrum inter et ventriculum versante. — Aliae etiam causae memoriae traditae sunt universales, systema potissimum nervosum infestantes, ut febres intermittentes, febres typhosae vel putridae malignae; vel totum corpus aggredientes ut aër exhalationibus multorum hominum depravata, vel genius aliquis endemicus, qualem *Cruveilhier* anno milessimo octingentisimo nono in regione oppidi Limoges sibi observatum retulit, et epidemicus, cujus mentionem *Wiesemann*[6]) fecit.

CAPUT VII.

P R O G N O S I S.

§. 18.

Tristissimum sane fere semper exitum morbi nostri fuisse vel ex historiis de Gastromalacia conscriptis luce, ut ajunt, clarius apparet, quippe quibus fere omnibus ea, quae in dissecto apparuerint aegrotantis cadavere, adjecta esse videa-

---

1) *Krukenberg* l. c. II. p. 340. 345. — Referenda huc forsitan, quam *Krüger* (l. c. 1824. St. 1. p. 107 et 110) in duobus casibus sibi observatam retulit, suspicionem praesentis in nutricibus syphilidis, quarum igitur, cum exanthemate rubicundo laborarent, admodum pertinace, lac quoque acrimonia aliqua excelluisse veri simimillimum est.

2) *Meissner* l. c. I. p. 381.

3) Salzburger med. chir. Zeitung 1825. Jan. Nro. 4.

4) Salzburger med. chir. Z. 1823. Bd. II. Nro. 16.

5) Conf. Commentatio de febribus exanthematicis exanthemate carentibus auct. *Autenrieth* et *Martini*. Tubing. 1827.

6) *Wiesemann* Horn's Archiv. 1824. St. 5. p. 202.

mus. Neque igitur ad haec usque tempora refutari possunt, quibus *Petrus Frank* usus est, verba, Gastrititem dicens erysipelaceam, nec non „eam, quae cnm febre nervosa incedat, in gangraenam promptissime converti." Quae quidem verba ad nullam aliam rem spectare videntur, quam ad cessantem cerebri in partes abdominales effectum. Et quamvis morbus noster ipsi, quam alias reperimus, gangraenae annumerari non possit, tamen eam cum eadem similitudinem habet, ut vita in illa organismi parte depressa et ab ipsa locali morte proxime absit. — Quamvis igitur haud multum boni fere semper, ubi medicus veram morbi indolem perspexerit, praesagiri poterit, tamen Prognosin non eandem esse posse in omnibns nostri morbi casibus, jam ex varia, quam prae se ferre solet, imagine (in Cap. III. a nobis relata), conjici potest. Idque eo majorem ac diligentiorem medicorum curam efflagitat, quo majore laetitia infantes nonnunquam sanatos esse, auctorum scripta testantur [1]).

Diversa igitur Prognosis erit in infantibus robustis ab illa in infantibus macie admodum confectis statuenda; diversa secundum causam occasionalem, vel leniorem vel magis violentam atque malignam; diversa, ubi chronicum vel rapidiorem decursum servat, vel ubi medicus non nisi sero advenit; diversa porro in infantibus natu majoribus vel minoribus. Nam in minimis natu quibusque et rapidissimum decursum esse, exempla tristissima sat multa docuerunt. Maximum autem omnium discrimen complicatio morborum constituit; sed ne totam morborum, quibuscum juncta Gastromalacia apparuit, seriem supra relatam referamus, lectores benevolos ad §. 8. relegare nobis liceat. In quibus vero omnibus prognosin eo pejorem fore, inficias ire non possumus, quo difficilius et diagnosis statuenda et medicamina propinanda erunt, cum haud raro fiat, ut remedium ab alio morbo exactum alii minime conveniat, quale Calomel est in complicatione Gastromalaciae cum Hydrocephalo.

Verum enim vero ubi ad tertium stadium morbus pervenerit, prorsus desperandam esse aegrotantis vitam, experientia docuit, utpote in quo ventriculus ab ipsa perforatione proxime absit. Ea autem facta, jam per ipsa, quae in abdomen emanant, ventriculi contenta mortem conciliari oportet [2]). — Quae cum ita sint, eo magis memoria dignum est, quod *Heim* [3]), ipsis jam perforatis ventriculi parietibus, vitam adhuc per integrum biduum actam esse memoriae tradidit.

---

1) e. gr. *Wiesemanni* l. c. 1824. St. 5. p. 207.
2) Conf. *Gérard* des perforations spontanées de l'estomac. Paris an. 12. in Harless Journal der ausländ. med. Litteratur, Bd. VIII. St. 1. p. 36. ff.
3) *Heim* in Horn's Archiv 1812. St. 1. p. 12.

CAPUT VIII.

THERAPIA.

§. 19.

Cum igitur jam in eo simus, ut, quod practicam artis nostrae partem spectat, curam videlicet, exponamus, morbo nostro opponendam, duae imprimis res sunt, quae attentionem nostram efflagitant. — Quam enim in aliis morbis et periculosissimis quidem quibusque distinguere solemus, prophylacticam curam, quae morbum vel nondum praesentem arcet, vel modo prorupturum, quominus id fiat, prohibet, et radicalem, quae ipsi morbo medetur; eam in Gastromalacia eo minus omittendam putamus, quo magis ea, quae hucusque notavimus, periculorum plenum morbum nostrum esse commonstraverunt.

Prophylactica autem *cura* justam potissimum ac prudentem spectat infantum et nutritionem et educationem. Illam vero quod attinet, neque ullam rem praestantiorem esse ipso lacte materno, et experientia docet, et virorum doctissimorum ad unum omnium sententia comprobat. Sed et hujus curam habeamus quam diligentissimam necesse est, utpote quod ipsum lac vel quantitate nimia, vel qualitate perversa parvulis infantibus morbos ciere possit. Respicienda autem potissimum qualitas lactis, ne vel nimis spissa, vel aquosa vel morbis depravata sit, siquidem non possimus non cum *Omnibono Ferrario* [1]) facere, „malam lactis conditionem astheniam ventriculi" adducere, contendente. Praeterea et munditiei et corporis et vestimentorum operam navari, neque aërem ejusque temperaturam negligi, cunctaque, quae teneram admodum ac sensilem infantum cutem laedere possint, momenta arceri jubeamus necesse est. Idque tum potissimum factu opus erit, ubi vel dentitionis negotio parvuli laboraverint, vel febri cuipiam exanthematicae acutae succubuerint. Omnium autem curam vel maximam id temporis spatium exigit, ubi infantuli, ut et aliis nutrimentis assuefiant, instituuntur. In qua quidem re tria potissimum sunt, quorum, quum nostro morbo arctius connexa sint, respectum habeamus oportet. Primum enim, ne ubi infantes justo teneriores vel macilenti vel cachectici sint, vel etiam diarrhoea laborent, id fieri concedamus; deinde anni tempus respiciamus, quippe cum e *Gairdneri* sententia, cui quidem, quod opponamus, haud multum habemus, calidis aestatis autummique diebus infantes ad morbum nostrum procliviores sint; et tertio tandem loco sexus rationem habeamus, cum plures fere masculi quam foeminini generis infantes Gastromalacia corripiantur. — Ad prophylacticam porro curam pertinet, ut omni omnino vehementiori,

---

1) *Omniboni Ferrarii* de arte medica infantum libri IV, Brixiae 1577. 4. p. 144.

nimiumque diu duranti ventris profluvio diligentem curam tribuamus, utpote quae in infantibus majoris momenti sint, quam vomitus, quo ipsa natura medicatrix ventriculi contenta vel per quantitatem vel per qualitatem nocentia exterminare studeat. Id quod eo magis urgendum est, quo minus certa Gastromalaciae diagnosis erit, et quo frequentiora confusarum cum nostro aliisve gravioribus morbis affectionum exempla medicorum observationem subierint. Infantibus cachecticis maximum sane conducet glandium tostarum usus, ibi potissimum, ubi neque reliquam neglexerimus physicam educationem, neque ullam instituendae vitae infantum psychicae curam impertiverimus.

§. 20.

Verum enim vero morbus ipse ubi organismum affecerit, hostemque atrocissimum veluti inter pomoeria debellandum habeamus, tum radicalem curam eamque energicam instituere nostrum erit. Hic enim sane est, ubi regula in infantum morbis solita decedere cogamur, nimirum ut constantes propositi atque audaces morbum aggrediamur, quem alias per passivam magis atque exspectativam methodum debellare debeamus [1]). Qua quidem in re omnium primum respiciamus oportet tam infantis constitutionem, quam morbi characterem sic dictum dynamicum. Illam autem ubi robustam, sanginis plenam et hunc hypersthenicum esse cognoverimus, qualis in altero acutae Gastromalaciae stadio esse solet, tum quidem dubium esse non potest, quin, quam et *Heim* [2]) et *Hufeland* [3]) commendant, licet *Rhades* [4]) contradicat, antiphlogistica methodo praeprimis utamur. Igitur et hirudines applicabimus et cucurbitarum [5]) ope in infantibus natu majoribus sanguinis molem imminuemus. Deinde per Sinapismos, Emplastra cantharidum ordinaria, regioni epigastricae applicita, et, inunctiones congestionem sanguinis ad externas partes derivare studeamus. Usui interno Ammonium muriaticum cum pulvere gummi nimosae et aliqua opii parte praescribere possumus; — neque Calomel tamen, a praeceptore summe venerando, *Krukenberg* [6]), adhibitum, propinaverimus, utpote quo, ne dissolutionis processus augeatur, timuerimus. —

Alii quin gastricam sic dictam methodum in infantum morbis perquam communem [7]), nostro etiam in morbo in usum vocarent, nulli dubitavere, ut qui pri-

---

1) *Meissner* l. c. I. p. 61.
2) *Heim* in Horn's Archiv. Bd. VIII. Heft 1. p. 181.
3) *Hufeland* im Journal. Bd. 63. St. 5. p. 127.
4) *Rhades* l. c. 1822. St. 5. p. 226.
5) Tübinger Blätter etc. Bd. II. Heft 1. p. 118. — *Loewenthal* Huf. Journ. Bd. 61. St. 1. p. 101. Is autem neque per cucurbitas, neque per hirudines, neque per apertam adeo venam saphenam et medianam sanguinis profluvium efficere potuit.
6) *Krukenberg* l. c. Bd. I. p. 141.
7) *Henke* Kinderkrankheiten. p. 170.

mus hujus morbi medelam instituit, *Jaeger* [1]), tincturam Rhei aquosam et Kali carbonicum cum extracto aurantiorum immaturorum et syrupo diacodii praescribens. Simul ad sistendam vehementiorem saepissume et admodum conficientem diarrhoeam clysmatum ope, amylum continentium usi sunt. — Alii unum id, ut tonum fibrae organicae adaugerent, molientes, Extractum Ratanhiae, pomorum aurant. immaturorum, radicem Colombo, Simarubae, Corticem Angusturae etc. [2]) in usum vocaverunt. Quin et Ferro muriatico [3]) eundem in finem, neque omni carentes feliciore eventu, usi sunt.

Cruveilhier, adversante tamen *Ramischio*, Opium specifici ad instar remedii laudibus etulit, quod et ipsum cum gummi arabico in emulsionis formam redactum *Wiesemann* [4]) prosperrimum sane, sed non durantem successum promovisse gavisus est. *Gairdner* ejusdem usum in clysmatum potissimum forma laudavit, utpote in quibus ex *Dupuytrenii* sententia uberiorem fructum exsereret. Caeterum idem *Cruveilhier* tantum abest, ut potum aegrotantibus porrigat, ut siti eos jam per se vehementissima, torqueri jubeat, ne scilicet per magnam humorum copiam ventriculus oneretur, ejusque vires, jam per se depressae, prorsus consumantur. Idque haud inutile esse experientia docuit. Decocti hordei tantum vel vitelli ovi in aqua fervente soluti cochlear secunda vel etiam quavis hora hauriendum infantulis porrexit.

Alii cum acidum aceticum ipso morbo produci compererint, acida mineralia, quippe quibus illius, ut plantis proprii, productionem et impediri factamque tolli *Pemberton* docuerat, adhibuerunt. Neque quam medici, theoretico hocce nitentes fundamento, spem conceperant, ipsum postea periculum in aegrotis factum abolevit. *Wiesemann* [5]) enim, acido nitrico, a *Nassio* sibi commendato, tanto successu usus est, ut et sanitatem infantis restitutam ejusque vitam servatam sibi gratularetur; id quod non chemico tantum sed dynamico etiam modo factum esse putat, aucto scilicet fibrae organicae tono. — Alii in acido hydrochlorico unum morbi magnumque remedium reperisse sibi persuaserunt [6]), id quod summis a *Koppio* laudibus elatum, haud minimum in Stomacace aliisque morbis cum dissolutione humorum junctis, effectum sparserit. Sed cui in alio casu *Rhades* [7]) optimum successum tribuendum putavit, quippe quo uno prosperam infantis valetudinem, hi-

---

1) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 27.
2) *Cammerer* l. c. p. 39.
3) Tübinger Blätter l. c. — Heidelberger klin. Annalen. Bd. II. Heft 2.
4) *Wiesemann* l. c. 1824. St. 5. p. 206.
5) id. ibid. p. 207.
6) *Becker* l. c. Bd. 64. St. 5. p. 17.
7) *Rhades* l. c. 1822. St. 5. p. 240.

rudinibus antea et Calomelane incassum adhibitis, a se restitutam esse autumavit, idem ipsum neque quidquam in debellando alio ejusdem morbi casu profecisse conquestus est. Dosis, qua uti solitus erat, ad unciae partem dimidiam usque, quovis die consumendam, processit, addito simul syrupo et aqua foeniculi.

Omnium autem frequentissimum medicis acidum pyrolignosum usu venit, cujus a *Perres* et *Pitschaft* [1]) commendati, haud sane minimam efficaciam esse, experientia edocti erant. Quibus cum *Teuffel* licet non potuerit omnino contradicere, tamen ibi tantum, ubi alcalina praeponderaret facultas, laudavit. *Pitschaftii* cum optimo, qui sperari potuit, successu adhibita formula dosisque haec erat:

℞ Aq. flor. naphae ℥jj.
acid. pyrolignos. ʒjj.
Syrup. emulsiv. ℥j.

MDS. Quavis hora hauriatur dimidium cochleare, simul cum aqua sacharata, infuso seminum foeniculi etc. — Neque nos omnem tamen in ejus usu attentionem deponere, *Perres* et *Schubarth* suaserunt, quippe qui et nervorum paralysin et ipsum mortem, convulsiones vehementissimas sequentem, inde oriri posse, litteris tradiderunt.

CAPUT IX.

E P I C R I S I S.

§. 21.

Quibus omnibus, quantum in nobis erat, expositis, una tantum restat quaestio, cujus uti jucundissimae ita difficillimae non nisi in ima cera mentionem facere voluimus, quaestionis scilicet de ipsa morbi hucusque recensiti natura. Perlectis autem, quae auctores medici ea de re composuerunt, scriptis, non potuit admodum notabilis diversaque scriptorum sententia nos latere. Qua igitur in re uberius nunc exponenda, ne nimia oriatur explicationum admodum diversi generis confusio, cavendum nobis erit. Id quod divisione aliqua optime vitari poterit. Eam autem reperisse nobis videmur, ubi vetustam illam, sed haud inutilem, de morborum origine sententiam retinuerimus, primario duntaxat aut humorum (contentorum), aut partium firmarum (continentium), affectu nitentem. Aliud deinde scriptorum genus erit, qui scilicet utramque conjungentes opinionem, medium quasi inter utramque,

---

1) *Rust* krit. Repertor. Bd. V. Heft 1. 1824.

vel partes solidas vel humidas respicientem scriptorum seriem locum tenent. Sed ipsi suas, quas de morbi nostri natura foveant, sententias in lucem proferant, quibus, si quid in nobis est, judicii, aut assentiamur, aut, quae in dubium vocari posse nobis videantur, ea, qua hominem novum decet, observantia, ingenue apponamus. Ordiamur igitur ab illis, qui succum gastricum maximam malorum causam arguerunt. Quae cum ita sint, *Hunterum* chorum ducere juvabit, ut qui primus hujus rei, in dissectis hominum cadaveribus sibi obviae, mentionem fecerit, suamque ea de re sententiam promulgaverit.

Hunterus [1]) igitur tunicam ventriculi intimam villosam cum in hominibus inauspicato et per vim necatis saepius emollitam reperisset, succi gastrici ope destructam esse sibi persuasit, atque in uno quoque hominum cito mortuorum cadavere observari posse contendit. Ejus autem rei, quod in plerisque sectionibus ea destructio desideraretur, causam, morbos illos accusavit, quibus homines confecti supremum diem obierant. Sanissimi igitur cujusque hominis succum gastricum et acidissimum, et ad hanc destructionem promptissimum esse putavit. — In ejusdem fere partes *A. Burns* [2]), *Adams* [3]) et *Baillie* [4]) iverunt; neque *Autenriethium* [5]) ab hac sententia prorsus alienum fuisse, ex eo apparet, quod medicis forensibus factu opus esse praescripsit, ibi scilicet, ubi ventriculum perforatum reperirent, ut ejusdem foraminis margines probe perscrutarentur. Germanorum tamen primus, qui Anglorum sententias amplexus, uberius exposuit, *Treviranus* [6]) fuit. Idem quod Anglorum medici in hominibus tantum repererant, in animalibus sibi observatum tradidit, quorum quidem ventriculum partesque huic maxime contiguas, reliquis omnibus partibus sanis, emollitum vidit. — Eandem fere sententiam *Harless* [7]), *Chaussier* [8]) et *Laisné* [9]) professi sunt, quippe quibus morbus noster „Diabrosis, sive Erosio" audivit, quo factum est, ut acidi cujusdam in ventriculi membranas agentis mentionem involverent.

Quae cum ita sint, non est sane, quod miremur, quod auctores investigandae succi gastrici, utpote cui tantam efficaciam tribuerint, naturae acrius institerint.

---

1) *Hunter* observations ou different parts of animal oeconomy, übers. von Scheller p. 300.
2) *Allan Burns* observ. on the digestion of the stomach after death. Edinb. med. and surg. Journ. Vol. VI. p. 305. Göttinger gel. Anz. 1811. St. 43.
3) *Adams* on the digestion etc. Im Lond. med. Journ. Vol. 23. p. 399—418.
4) *Baillie* Anatomie des krankhaften Baues etc. übers. von Sömmering. p. 71.
5) *Autenrieth* Anleitung für gerichtl. Aerzte. Tübingen 1806. p. 67.
6) *Treviranus* Biologie. Bd. IV. Göttingen 1814. 8. p. 347.
7) *Harless* System der spec. Nosologie. Erste Hälfte 580.
8) *Chaussier* Bulletin des sc. med. Nro. 53.
9) *Laisné* considerations medico-légales sur les eros. et perf. de l'estomac. Neue Samml. auserl. Abhandl. Vol. IV. St. 4.

Hunter igitur succum gastricum esse voluit, ubi sanus, neque ullo morbo debilitatus in corpus agere posset; eum autem neutrum, neque acidum esse, neque alcalinum *Rudolphi* [1]) contendit, adversante tamen *Magendie* [2]) chymum semper acidum esse dicente. Praeterea *Hunteri* sententiae obstat, quod succus gastricus sanus multo minorem vim, experimento facto, in ventriculi membranas exsererit, quam idem morbo perversus [3]). Neque ubi *Hunteri* probabilis esset sententia tam raro Gastromalacia in cadaveribus obvia fuerit. — Quantam succus autem gastricus vim exsereret, experimentis demonstratum est, cum avium [4]) partim, partim cum hominum succo gastrico instituta, quae quidem acidum illi subesse docuerunt, quod et lac coagularet, et chartam tincturae Laccae illitam rubefaceret [5]) et in aliis animalibus, avibus praecipue odorem etiam acidum spargeret [6]). Is autem, quominus in ventriculum sanum agat, eumque corrodat, continua nervorum actio prohibet [7]).

Sed quodnam tandem esset illud acidum, multis inter viros doctos litigationibus ansam praebuit. Alii [8]) enim acidum muriaticum non satiatum, eumque et pyroseos et dyspepsiae causam esse putaverunt; alii [9]) acidum phosphoricum contineri sibi persuaserunt. Alii [10]) porro acidum fluoricum inesse, ex experimentis cum gallinarum succo gastrico factis, conjecerunt; eique rei eo majorem fidem habendam esse dixerunt, quo luculentius idem acidum in ossibus hominum mortuorum, et in lotio vivorum repertum *Berzelius* [11]) indicaverat. Quin et vapores ex oculis hominum vitrum infestasse *de Witry* [12]) memoriae tradidit.

Alii [13]) acidum galacticum maximam partem esse contenderunt, id quod

---

1) *Rudolphi* Physiologie. II. Abtheil. 2. p. 11.
2) *Magendie* Phys. übers. von Heusinger. Eisenach 1820. II. p. 81.
3) *Cammerer* Versuche über die gallert. Magenerw. p. 27.
4) *Brugnatelli* in Crell's chem. Annalen. Jahrgang 1787. Bd. 1. p. 231 ff.
5) *Viridet* tractat. med. phys. de prima coctione. Genev. 1692. C. 10. 11. 22. — *Werner* dissert. sistens exper. circa mod., quo chym. in chyl. mutatur. Tubing. 1800. p. 20.
6) *Neergard* Vergl. Anat. et Physiol. der Verdauungswerkzeuge d. Säugethiere und Vögel. Berlin 1805. p. 166.
7) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 72.
8) *Prout* in Schweigger's Journal f. Physik und Chemie. Bd. 42. p. 473—478. — *Childrèn* ibid. Bd. 44. p. 492.
9) *Treviranus* Biologie. Bd. IV. p. 359.
10) *Treviranus* l. c. p. 360. — *F. Plater* in Blumenbachs Handb. d. vergl. Anat. p. 249. — *Reaumur* mém. de l'acad. des sc. de Paris a. 1752. p. 272—275. — *Spallanzani* Versuche über das Verdauungsgesch. Nro. 10. 13. 15.
11) *Berzelius* in Gehlens Journal für Chemie und Phys. Bd. III. p. 1. ff.
12) *De Witry* in d. Mem. de l'acad. de Bruxelles Jahrg. 1787., übers. in Lichtenbergs und Voigts Magazin f. d. Neueste aus der Phys. Bd. 5. St. 1. p. 116.
13) *Carminati* Unters. über d. Natur u. d. versch. Gebr. des Magenh. a. d. Italien. Wien 1785. 8. p. 90 — 129. — *Leuret et Lassaigne* recherches physiol. pour servir à l'hist. de la digestion. Paris 1825. 8.

etiam *Treviranus* (l. c.) concessit, neque huic tantam tamen efficaciam tribuit. — Alii tandem, iique plurimi, acidum aceticum esse, argumentis sat multis atque experimentis nisi, pronuntiaverunt, quod et *Berzelius* infantibus perquam commune notavit. Idem igitur et emollitionis ventriculi causam *Jaeger* [1]) declaravit, quippe quod et sudori hominum optima valetudine fruentium et urinae inesse *Thénard* [2]) docuerat et cujus odorem in febre miliaria, in Rheumatismo, in deposita infantum alvo atque odore ex ore sparso, saepissume observare possimus. Quod quidem eo propius a vero abesse videtur, quo id acidum luculentius in morbosis organorum digestioni inservientium affectionibus oriri, experientia edocti sciamus [3]). Neque id mirum, cum multa, quibus frui solemus, nutrimenta, aut id jam contineant, aut facillime in idem commutentur (qualia sunt Sacharum, Gelatina, Amylum). Praeterea fibrinam eodem in gelatinam mutari, *Bertholet* [4]) docuit, et membranas id absorbere vitulorum abomasus probat, quod acido acetico submersum atque exsiccatum lacti congulando adhibemus. —

Hanc igitur succi gastrici acrimoniam, in nostro praeprimis morbo conspicuam, *Fleischmann* a turbato, quem ventriculus et lien inter se alant, dynamico nexu derivat, ita ut, liene, organo hydrogenisationi inservienti, alienato, ventriculi, organi oxygenationis, vis antagonistico modo adaugeatur, nimiaque succo gastrico acies concilietur. Quem consensum lienem inter et ventriculum versantem, licet *Hesse* [5]) quoque notaverit, uberius imo exposuerit, tamen illius emollitionem, nullo certo discrimine, aeque saepius Gastromalaciae causam atque effectum fuisse tradidit. — Alii [6]) morbosam bilis secretionem arctius cohaerere cum acida atque corrodente succi gastrici facultate putaverunt, illo nimirum fulcientes momento, quod vesicam felleam atra plerumque spissaque bile scatentem repererant. — Alii [7]) eandem a repressa cutis transspiratione derivandam esse, persuasum sibi habuerunt; alii [8]) tandem primarium nervi vagi atque sympathici affectum totius morbi causam pronuntiaverunt, quippe qui, quod in Capite V. §. 14. exposuimus, medullam oblongatam atque pontem Varolii fere semper induratam viderint.

---

1) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 5. p. 64.
2) Sur l'analyse de la sueur, l'acide q'uelle contient, et sur les acides de l'urine et du lait p. *M. Thénard* in den Annalen der Chymie. Tom. LIX. p. 262.
3) Sur la formation de l'acide aceteux dans les mauvaises digestions par *M. Perperes* in den Annalen der Chymie. Tom. LX. p. 280.
4) S. Bülletin des Neuesten und Wissenswürdigsten aus der Naturwissenschaft von *S. F. Hermbstaedt*. Bd. II. Heft 1. Nro. XXVIII.
5) *Hesse* in Horn's Archiv 1824. St. 5. p. 447.
6) *Wiesemann* l. c. 1824. St. 5. p. 210.
7) *Lenhossek* Salzb. med. chir. Zeitung. 1823. Bd. 2. Nro. 16.
8) *Rhades* l. c. 1822. St. 5. p. 240. — *Cammerer* l. c. p. 10.

§. 22.

Cui tamen de succi gastrici efficacia sententiae primus omnium *Jaegerus* [1]) se opposuit, qui, quin unus ille talia moliri possit, in dubium vocans; alteram etiam desiderari conditionem contendit. Hanc autem in morbosa aliqua ventriculi, et ante mortem quidem, affectione collocandum esse sibi persuasit. Idque eo majore verisimilitate gaudere visum est, quo luculentius virorum clarissimorum, *Sennebier*, *Spallanzani*, aliorum experimenta, partes membranosas, omnium difficillime digeri posse demonstraverunt. *Hunteri* porro et eorum qui eum secuti sunt, sententiae haud minimum adversatur, illam destructionem non in ventriculo solum, sed aliis etiam partibus (conf. §. 13.), succo gastrico non petitis, repertum esse. — Morbosam autem aliquam ventriculi affectionem desiderari ad ipsam producendam emollitionem, illa *Jaegeri* [2]) experimenta certissime probaverunt; qui cum ventrem maximam partem destructum atque succum gastricum etiam continentem, una cum oesophagi et duodeni, nullo modo per morbum antea affecti, parte coquisset, reliquam etiam ventriculi partem, antea non emollitam, prorsus in gelatinam mutatam, oesophagi contra et duodeni partes illaesas, quin duriores etiam, candidas contractasque reperit. Id quod jam antea *Burns* demonstraverat. —

Sed quaestio, quaenam tandem sit ea ventriculi affectio, multarum inter scriptores medicos controversiarum auctor erat. Alii enim ab *Hunteri* sententia cum prorsus decedere nollent, neque tamen succo gastrico omnia tribui cuperent, putrefactionem esse post hominis mortem intrantem, putaverunt. Ita *Pitschaft*, *Feiler* [3]), alii, neque virum clarissimum *Rudolphi* [4]) ab hac abhorruisse sententia sua ipsius verba docent. Nam cum stomachum parvulorum infantum omnino ad putredinem vel maxime propensum putaret, incipientis ejusdem signum fermentationem acidam esse contendit, quam denique ipsa membranarum emollitio sequatur. Tantum autem abesse ut morbos omni in eam rem effectu carere, ut eandem accelerare persuasum sibi habeat, quippe qui quod organon cunque per vitam aegrotans, putredini maxime obnoxium viderit. Cui quidem rei haud levissime advertatur *Treviranì* [5]) dictum, succum gastricum tanta antiseptica facultate clarum praedicantis, ut et putredinem impediat, quominus fiat, et incipienti finem imponat. Obstat porro, quod neque unquam foetidus dissolutionis putridae odor perceptus sit, sed aut nullus, aut acidus [6]); deinde quod orta ipsa putrefactione humor an-

---

1) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 1. p. 23.
2) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 55.
3) Paediatrik 1814. p. 193. 194.
4) *Rudolphi* Physiologie. II. Abtheil. 2. p. 119.
5) *Treviranus* l. c. IV. p. 349.
6) *Jaeger* l. c. Bd. 32. St. 5. p. 16. — *Meissner* l. c. I. p. 382.

tea acidus, alcalinam assumserit facultatem simulque odorem putridum admodum luculentum sparserit [1]).

Ab hac sententia proxime absunt, qui gangraenam vel sphacelum esse contendunt [2]). Quibus vero, et quae novissime allata sunt, contradicunt et quae funerum sectiones docuerunt, quippe quae foramina sine omni saepe inflammationis vestigio, quae gangraenam vehementissima praecedat necesse est, ostendant. — Nihilo secius sat magna est scriptorum copia [3]), qui, cum et ruborem nonnunquam et duritiem aliquam in cadaveribus reperissent, ad inflammationum genus morbum nostrum revocarunt, cui peculiaris emollitionis processus finem imponeret. Hunc autem ab inflammatione prorsus diversum *Vogel* [4]) contendit.

Recessit igitur ab his *Cruveilhier*, qui, licet morbosam aliquam membranarum irritationem statueret, tamen affluxum inde oriri putavit humorum, qui, cum exhalationi destinati sint, retenti tenerum ventriculi telam extenderent atque destruerent. Quaenam autem esset illa irritatio; quinam humores et quidni exhalarentur, et quo denique modo peculiaris illa destructio fieret, non dixit. —

Alii ut *Romberg* et *Meissner* [5]) per analogiam magis quam definitionem morbi naturam indigitare studuerunt, similitudinem, quae uteri sic dictam Putrescentiam inter et ventriculi emollitionem versaretur, laudantes [6]).

Cruikshank nimiam vasorum lymphaticorum actionem arguit; quae vero, cum neque ullam materiae jacturam videamus, quo modo locum habere possit, non videmus. Secutus eum tamen est *Richter* [7]), licet paulisper variaret ejus sententia. Putavit enim esse reconstructionis, (quam etiam *Spitta* dixerat), processum atque regressum ad priorem aliquam evolutionis periodum, quem quidem aetati infantili eo magis consentaneum existimavit, quo magis reproductionis facultas in illis vigeret. Quo fieri, ut singula organa celeribus mutationibus obnoxiae essent. Cuique autem resorbtioni praecedert redactio in massam amorpham, mollem et aequalem necesse esse. Peritonaeum plerumque salvum remanere sed per vomitus vehementiam di-

---

1) *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 62.

2) *Wittmann*, in d. Med. Jahrb. d. K. K. Oestr. Staats 1823. Heft 4. — *Siebold*, Journ. für Geburtsh. etc. Bd. V. Heft 1. p. 3.

3) *Henke* l. c. p. 378. — *Feiler* l. c. p. 194. — *Joerg* Handbuch zum Erkennen und Heilen d. Kinderkrankh. p. 420. — *Gairdner* Transactions of the med. chir. society of Edinb. 1826. Vol. II. p. 331. — *Hufeland* im Journal, Bd. 63. St. 5. p. 128. — *Vest* med. Jahrb. des K. K. Oestr. Staats 1823. Bd. IV. Heft 8. — *Pohl* diss. sist. Collectan. in Gastrititis morborumque qui cum sequantur pathologiam. Lips. 1822. p. 25. — *Krukenberg* in iis, quas de Pathologia speciali habet, praelectionibus.

4) *Vogel* Handb. d. pract. Arnzneik. f. pract. Aerzte. Bd. VI. Stendal 1816. p. 255.

5) *Romberg* Horn's Archiv 1822. Heft 6., *Meissner* l. c. p. 380.

6) Conf. *Klaatsch* in Hufeland's Journal. 1823. St. 1.

7) *Richter* l. c. 1824. St. 5. p. 236.

rumpi. — Quae vero hypothesis, cum, morte videlicet prius oboriente, neque ulla resorbtio locum habere possit, mera potius processus illius relatio, quam explicatio esse videtur.

Scheller [1]), qui *Hunteri* opus linguae vernaculae tradidit, cum omnem dissolutionem unius succi gastrici impetui tribuere nollet, digestionem ventriculi post mortem adeo durare voluit. Quo autem modo actio aliqua vitalis, ipsa extincta vita, locum habere possit, non videmus.

Plerique igitur recentiorum, qui de morbo nostro sententiam suam exposuerunt, scriptorum et morbosum succi gastrici et ventriculi ipsius affectionem esse contenderunt; id quod ipsum ei, quam nunc de morborum pathogenia omnino fovemus, theoriae magis consentaneum est, utpote qui neque partes solidas, neque humidas singulas aegrotare, sed utriusque per dynamicum magis effectum aegritudinem simul adduci putemus.

Jaeger [1]) igitur causam Gastromalaciae proximam paralysin arguit nervorum ventriculum circumeuntium, nervi vagi atque sympathici, qua et *Hunterii* casus quosdam a subito cessante scilicet cerebri actione illustrari putat. Eam autem paresin et astheniam membranarum ventriculi et acidum succi gastrici ac corrodentem facultatem efficere. Ipsam igitur destructionem effectum esse processus chemico-animalis, cujus phaenomena a morbosa aliqua mutatione orta, jam in vivo homine appareant. Sed quem humorem alias „septicum animale" nominavit; eundem alias „sphaceli genus" nuncupat. — In ejusdem fere partes *Meckel* [2]) ivit, digestionem qui nominet membranarum ventricnli per succum gastricum; illis per cessantem nervorum influxum debilitatis, et hoc eadem de causa acidiore reddito. Idque item *Becker* [3]) laudavit.

§. 23.

Quibus igitur virorum doctissimorum sententiis, ut et nostram, quam de morbi natura conceperimus, opinionem addamus, nunc permissum nobis sit. Qua quidem in re duas inter species distingnendum esse persuasum nobis habemus, alteram quidem a paralysi ortam, qua aut ipse afficitur ventriculus, primario modo, aut cerebrum ac medulla spinalis, secundario modo; et alteram, infantum Gastromalaciam. Ad illam sane *Hunteri* casus referendos esse, maximam certe partem, putamus, huic eos potissimum casus tribuendos, qui recentioribus temporibus in parvulis praeprimis infantibus medicorum oculos subierunt. — Cujus igitur, infantili aetati propriae (conf. §. 16.) primordium hoc loco exponamus necesse est.

---

1) *Scheller* in d. Unters. v. Hunter's Anm. 177. p. 309.
2) *Jaeger* l. c. No. 36. St. 1. p. 48.
3) *Meckel* pathol. Anat. Bd. II. Abthlg. 2. p. 13.
4) *Becker* l. c. Bd. 64. St. 5. p. 35.

Primum igitur stadium, cum omnino turbatae digestionis, et quae inde pendent, aegritudinis phaenomena exhibeat, intercedente nova quapiam causa in alterum transit; id quod per inflammationis sic dictae asthenicae processum fieri persuasum nobis habemus. Quo quidem statu subinflammatorio quin secretio succi gastrici, omnium ad instar omnino corporis humorum augeatur, dubitare non possumus; eamque eo uberiorem fieri, quo major vel potus vel nutrimentorum copia hauriatur, *Tiedemann* et *Gmelin* [1]) experimentis certiores facti probant, quibus ejusdem secretionem ab ingestorum mole pendere, patefactum est. Id igitur nostro etiam in morbo fiat necesse est, cum, quantam potulentorum copiam porrexerimus, aegroti magnis haustibus ingerant. — Sed et perversam fore succi gastrici indolem et analogia docet et symptomata in vivis, et quae sectiones demonstrant in mortuis hominibus, probant. Quem enim narium, vel oculorum, vel urethrae, vel vaginae, vel ipsius recti mucum per statum subinflammatorium nimis acidum fieri videmus, quippe qui erythema saepissume cutis externae efficiat, eundem cur in succo gastrico effectum negare vel velimus, vel possimus, non videmus. Ei igitur ejusdem acrimoniae acidum aceticum subesse cum *Jaegero* aliisque pro certo habemus. Quod cum infantibus perquam commune sit, quum in hominibus natu majoribus acidum potissimum muriaticum reperiatur, jam ex hoc, optima eademque facillima ratione, cur emollitio infantum praeprimis, induratio vero membranarum ventriculi illis propria sit, explicatur. Diversam enim utriusque acidi efficaciam supra laudavimus.

Ubi itaque sat magna succi gastrici ejusque perversi copia secreta fuerit, tum et inflammationem decrescere et illius effectum chemicum magis elucere probabile est. Idque eo facilius, quo frequentius quam tunicam mucosam cunque subinflammatione correptam sensim sensimque relaxari atque emolliri, experientia nos docuerit. (Quod luculentissime v. c. in polypis narium sic dictis mucosis observare licet.) Quo igitur fit, ut qui antea ab inflammatorio proxime aberat, aegroti habitus, nunc paralytico ac torpido locum concedat, et tertium inde, quod supra descripsimus, morbi stadium incipiat. Id autem praeprimis desiderari, experimenta probant a *Cammerer* [2]) instituta, qui, cum canibus utrumque nervum vagum et sympathicum praecidisset, suscumque illum gastricum, sed morbosum porrexisset, haud ita multo post et mortem animalium istorum et emollitionem ventriculi in dissectis iisdem animadvertit. (Idem factum est per ipsum acidum aceticum dilutum.)

Eadem igitur re simul, cur fundus potissimum ventriculi affectus reperiatur,

---

1) *Fr. Tiedemann* u. *Leop. Gmelin.* Die Verdauung nach Versuchen. Bd. 1. p. 144.
2) *Cammerer* l. c. p. 31.

luce ut ajunt, clarius fit, utpote qui, cum locus maxime proclivis sit, in hominis mortui cadavere succi gastrici vel maximam partem contineat. Praeterea non est sane, quod omnem lieni effectum in hunc morbum denegare queamus, cum, quae multae quidem de ejus usu promulgatae sunt opiniones, plurimae tamen consensum aliquem vel antagonismum (*Lieutaud*) ventriculum inter et illum versantem concedant. — Sed et anteriorem parietem emollitioni laborasse sectiones demonstrarunt, ejusque rei ut rationes reddamus, haec addere nobis liceat. Primum scilicet scitu dignum est, utrumque ventriculi parietem non adeo a se invicem distare, imo, collapso ventriculo, proxime sibi adjacere, medio tantum interposito succo gastrico. Deinde, quam partem cunque morbo i. e. subinflammatione maxime petitam, emollitioni etiam atque corrodenti succi gastrici naturae maxime expositam esse, veri simillimum est. Neque quam viri doctissimi palam fecerunt, sententiam, prorsus negare possumus, saepissume causam emollitionis ipsis parietibus inclusam esse [1]). Id quod haud ita difficile explicatu est. Nam cum succi gastrici praecipuus atque uberrimus fons sint multimi arteriarum rami [2]), et magis quidem quam glandulae Pylori [3]); eam emollitionem quovis etiam ventriculi loco fieri posse apparet, cum secernenda illa ex arteriis materia acida ubique stagnare possit.

Inde quoque, quaenam Enteromalaciae nonnunquam observatae, causae subsint, facile apparet. Succum enim entericum aeque ac gastricum nervorum actioni quam maxime subjectum esse *Tiedemann* et *Gmelin* [4]), experimentis certiores nos fecerunt, quippe qui, perscisso nervo vago, alcalinam ejusdem, antea neutrius vel acidi adeo, facultatem observarunt.

Neque igitur in dubium vocari potest, quin emollitio, durante vita incepta etiam post mortem locum habeat, quin increscat. Id enim et *Burns* et *Jaeger* [5]) experimentis nos docuerunt, qui, cum in dissecto cadavere ventriculum emollitum reperissent, per suturam abdominis vulnus rursus contraxerunt, biduoque post, aperto denuo abdomine, destructionem et multo majorem et latius vergentem viderunt, neque ullo tamen praesente putredinis signo. Inde igitur, quae in thorace per oesophagi foramina vel in abdomine per diruptum ipsum ventrem aliorum or-

---

1) *Meckel* l. c. II. 2. p. 13. — *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 56.

2) *Treviranus* l. c. Bd. IV. p. 343. — *Wepper* hist. citut. agerat. p. 80. — *Spallanzani* Versuche etc. p. 157.

3) *Rudolphi* l. c. II. 2. p. 111.

4) *Tiedemann* et *Gmelin* Versuche über die Wege, auf welchen Substanzen aus dem Magen und Darmkanal ins Blut gelangen, über die Verrichtung der Milz und die geheimen Harnwege. Heidelberg 1810. p. 34.

5) *Burns* l. c. p. 135. — *Jaeger* l. c. Bd. 36. St. 1. p. 55.

ganorum, Pleurae, pulmonum, hepatis, lienis, ac peritonaei destructiones atque emollitiones repertae sunt, derivandae erunt. Id quod ipsum perquam acidam ac corrodentem humoris facultatem comprobat. —

Quibus omnibus hucusque pro virium nostrarum penuria expositis, preces tantum addere liceat, imis praecordiis enatas, ut, quicunque has paginas dignas, quibus legendis operam suam impendant, putaverint, benevolo animo atque amico non tam id, quod consecutus sim, quam quod voluerim, respicere, neque, quae tironis stylus scripsit, severiori judicio subjicere velint. Qua igitur fretus legentium facilitate „verbum non amplius addam."

VITAE ET STUDIORUM CURSUS.

Ego, Mauritius Augustus Baumgarten-Crusius, patre Ernesto Augusto, matre Julia e Clauswitzensium gente orta genitus, Martisburgi anno millesimo octingentesimo decimo ad lucem editus, religionem christianam evangelicam confessus sum. Ibi parvulo mihi adhuc puerulo matrem charissimam, mihi nondum cognitam, morte heu! praematura ereptam esse lugeo. Verum in ejus locum altera cessit mater Johanna, e gente Rummel, aeque adamata, et cui, quae de me cunque optime merita est, haud sciam, an unquam possim referre. Duobus igitur fere lustris Martisburgi partim, partim Lütschenae, in pago prope Lipsiam sito, exactis, Theilii, sacrorum ejusdem praefecto, cujusque diem supremum nunc quoque lugeo, eruditione usus, una cum parentibus Rosslam, prope Herciniam sitam, adii, quo pater, ut a consiliis comitis Stollbergensis esset, vocatus erat. Anno post Dresdam pater me comitatus est, ibi ut, patruo dilectissimo et adhortante et compellente, animum litteris imbuerem, scholaeque absolverem cursum, cujus patruus et ipse carissimus erat magister. Neque possum ab hac vitae periodo decedere, quin, quibus hucusque pectora mea plena erant semperque erunt, eas publice pronuntiem, gratias, quas possim maximas cum omnibus omnino scholae ad aedem St. Crucis tum temporis praeceptoribus, tum patruo in primis, quippe quocum et sanguinis et consuetudinis arctissimo nexu me esse conjunctum, mihi gratulor. — Inde Halam Saxonum petii, ibique postquam examen maturitatis coram regio in hunc finem instituto collegio sustinueram, ingenium philosophiae medicinaeque disciplinis applicare coepi. Ibidem examen etiam philosophicum, Medicinae studiosis praescriptum, elapsis duobus fere annis, rite superavi. — Anni deinde dimidiam adhuc partem ibi commoratus, Berolinam petii, ibi ut studiorum cursum absolverem examinibusque sustinendis ingenium aptum redderem. Collegia autem in utraque litterarum sede per integros quatuor annos mihi frequentata haec erant:

Logicen et Psychologiam me docuit Ill. Gerlach, Anthropologiam Ill. Gruber, patronus optime de me meritus, Mineralogiam Ill. Germar, Zoologiam Ill. Nitsch, Botanicen Ill. Sprengel, Chemiam et Physicen, experimentis illustratam Ill. Schweigger. Quin et excursionibus in agro Halensi ab illo institutis interfui, practicisque in laboratorio chemico experimentis, inspicientibus Ill. Schweigger et amicissimo Wach, perficiendis operam dedi. Historiam universalem medii ac recentioris aevi Ill. Voigtel mihi traditam refero. Professorum gratioso medicorum ordini addictorum hos audivi disserentes: Ill. Friedlaender de Encyclopaedia medica, Ill. Schweigger-Seidel de Chemia pharmaceutica nec non de Pharmacologia, Ill. Meckel de anatomia tam corporis humani et sani et aegrotantis, quam comparata atque Physiologia; Ill. Krukenberg de omnibus et generalis et specialis Pathologiae et Therapiae partibus. Praeterea Ill. Meckel artem funera secandi debeo, et Ill. Krukenbergii scholis clinicis per semestre interesse mihi contigit. — In alma Berolinensi universitate his me praeceptoribus usum esse mihi gratulor, utpote qui scholis vacassem, quas de Chirurgia habuit Ill. Rust, de Akidurgia, de arte fascias

applicandi, et de morbis ossium mechanicis Ill. Kluge; de morbis animi mentisque Ill. Horn; de arte obstetricia Ill. Busch. Hujus etiam practico, quem de operationibus, artem obstetriciam spectantibus, habuit, cursui interesse mihi licuit. Scholas clinicas has frequentavi, et medicas quidem Ill. Wolfii, Ill. Hufeland, et Ill. Bartels; chirurgicas Ill. Rust et Ill. de Graefe; obstetricias Ill. Busch; ophthalmiatricas Ill. Jüngken. Quibus omnibus praeceptoribus summe venerandis, optimeque de me meritis, publicum gratiarum, quas imis praecordiis foveo, testimonium hoc loco dare me posse, summopere laetor. —

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico pariter atque examine rigoroso adamussim superatis, spero, fore, ut dissertatione hac Thesibusque adjectis publice defensis, Doctoris Medicinae et Chirurgiae honores mecum communicentur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Gastromalacia peculiaris infantum morbus est.*
2. *Non est certum Gastromalaciae signum.*
3. *Contagium syphiliticum et Gonorrhoicum a se invicem differunt.*
4. *Plurimis morbis diuturnis aquosa accedit colluvies.*
5. *Medicina additio est et subtractio.*
6. *Febris hectica levissimus est morbus.*
7. *Indicatio causalis saepissume altera demum est.*
8. *Contraindicationes non nisi in Theoria statui possunt.*
9. *Sunt certa mortis signa.*
10. *Systema vasorum capillarium non habemus.*
11. *Ruber musculorum color a sanguine, in iisdem circulante, non dependet.*
12. *In curandis ulceribus utique dyscrasia respicienda est.*
13. *Venae sectionem et Ligaturam vasorum saluberrimas omnium operationum dixerim.*
14. *Sunt certa graviditatis signa.*
15. *Sectione caesarea in arte obstreticia carere non possumus.*